DE

M. TULLI CICERONIS

STUDIIS RHETORICIS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS
PROPONEBAT

L. LAURAND

PARIS
LIBRAIRIE ALPHONSE PICARD & FILS
82, RUE BONAPARTE, 82

1907

DE

M. TULLI CICERONIS

STUDIIS RHETORICIS

De M. Tulli Ciceronis studiis rhetoricis

PROOEMIUM

Historiam artis rhetoricae, diu neglectam, nunc iis qui antiquitatis studio tenentur maxime colendam esse doctissimi viri [1] arbitrantur. Nec mirum. Nam quo melius Graecorum Romanorumque litterae cognoscuntur, eo magis perspicuum fit quantum apud antiquos ars rhetorica, vel ad conformanda, vel ad deformanda hominum ingenia valuerit.

Inter antiquos vero scriptores qui de rhetorica libros ediderunt, magnum certe locum Cicero tenet. Non modo enim multa Graecorum praecepta servavit quae apud rhetores Graecos non leguntur et aliquid praeterea de suo contulit; sed etiam, ex omnibus qui de rhetorica scripserunt, solus est quem plurimum dicendo valuisse constet. Itaque eius rhetoricam doctrinam [2] perscrutari et, si fieri posset, illustrare non inutile duxi. Quid aliis

1. V. g. Wilamowitz, *Die griechische Literatur des Altertums*, p. 101.
2. De orationibus eius in altera thesi disputavi, quae inscribitur : *Etudes sur le style des discours de Cicéron*. Paris, Hachette, 1907.

debuerit, quid ipse proprium ac suum attulerit, conatus sum investigare; cumque de eius librorum fontibus audacissimae coniecturae factae sint, vera a falsis, ab incertis certa, quantum potui, distinxi. Quia autem animadverteram ne id quidem apud doctissimos constare quid de ipsa arte rhetorica Cicero sensisset, disputationem de ea re praemisi. Tandem eius libros inter se comparavi, ut quatenus sententiam mutasset, appareret.

Non sum nescius perdifficiles has quaestiones esse; nec me eas ita absolvisse confido ut nihil iam supersit addendum. Vellem potius aliquid, quo doctiores ad maiora invenienda uti possent, in commune contulisse.

Libri in quorum mentionem incidi

(Commentationes in periodicis expressae hic omittuntur)

AMMON (Georgius). *De Dionysii Halicarnassensis librorum rhetoricorum fontibus*. München, Kutzner, 1889.

AMSEL (Georgius). *De vi atque indole rhythmorum quid veteres iudicaverint* (Breslauer philologische Abhandlungen, Erster Band, Drittes Heft). Vratislaviae, Koebner, 1887.

ANGERMANN (Otto). *De Aristotele rhetorum auctore*. Lipsiae, Himly, 1904.

ARNDT (Ernestus). *De ridiculi doctrina rhetorica*. Kirchhainii Lusatorum, Schmersow, 1904.

ARNIM (Hans von). *Leben und Werke des Dio von Prusa*. Berlin, Weidmann, 1898.

BADER (Franciscus). *De Ciceronis rhetoricis libris*. Griphiswaldiae, Hache, 1869.

BAKIUS (Joh.). *Scholica Hypomnemata* (4 vol.). Lugduni Batavorum, Brill, 1837-1852.

BAUERSCHMIDT (Hans). *Ergebnisse einer Vergleichung zwischen Ciceros Schriften De Oratore und Orator*. Erlangen, Jacob, 1900.

BAUMHAUER (Maria Matthaeus von). *Disquisitio critica de Aristotelia vi in Ciceronis scriptis*. Traiecti ad Rhenum, van der Monde, 1841.

BENOIT (Ch.). *Essai sur les premiers manuels d'invention oratoire jusqu'à Aristote*. Paris, Joubert, 1846.

BERGER (J.-F.-A.). *De rhetorica quid sit secundum Platonem*. Paris, Bourgogne, 1840.

BLASS (Friedrich). *Die attische Beredsamkeit* (2te Aufl.), 4 vol. Leipsig, Teubner, 1887-1898.

BOISSIER (Gaston). *Introduction de la rhétorique grecque à Rome.* Mélanges Perrot. Paris, Thorin, 1903, p. 13-16.

BOISSIER (Gaston). *La fin du Paganisme* (3ᵉ éd.), 2 vol. Paris. Hachette, 1898.

BONTOUX (Min). *Aristotelis et Ciceronis principia rhetorica inter se comparata.* Paris, Gratiot, 1840.

BORNECQUE (H.). *Quid de structura rhetorica praeceperint grammatici atque rhetores latini.* Parisiis, Bouillon, 1898.

BORNECQUE (Henri). *La prose métrique dans la correspondance de Cicéron.* Paris, Bouillon, 1898.

BRÜCKNER (C. A. F.). *Disputatio qua Cicero in libris de Oratore scribendis quid ex Isocrate et Aristotele mutuatus sit ad expl. epist. ad fam. 1. 9. 23 examinatur.* Suidnicii, Heeg, 1849.

BRZOSKA (Iulius). *De canone decem oratorum atticorum quaestiones.* Vratislaviae, Koebner, 1883.

CAUSERET (Charles). *Etude sur la langue de la rhétorique et de la critique littéraire dans Cicéron.* Paris, Hachette, 1886.

CHAIGNET (A.-Ed.). *La Rhétorique et son histoire.* Paris, Bouillon, 1888.

CHRIST (Wilhelm). *Geschichte der griechischen Litteratur bis auf die Zeit Justinians* (3te Aufl.). München, Beck, 1898.

CIMA (Antonio). *L'eloquenza latina prima di Cicerone.* Roma, Loescher, 1903.

CLAVEL (Victor). *De M. T. Cicerone Graecorum interprete.* Paris, Hachette, 1868.

CONSBRUCH (Max). *Zu den Traktaten* περὶ κωμῳδίας. Commentationes in honorem G. Studemund. Argentorati, Heitz, 1889, p. 333-354.

COPE (E. M.), *An Introduction to Aristotle's Rhetoric.* London, Macmillan, 1867.

CROISET (Alfred et Maurice). *Histoire de la Littérature grecque,* 5 vol. Paris, Thorin et Fontemoing, I (2ᵉ éd.), 1896; II, 1890; III (2ᵉ éd.), 1898; IV (2ᵉ éd.), 1900; V, 1899.

CURCIO (Caietanus). *De Ciceronis et Calvi reliquorumque Atticorum arte dicendi quaestiones.* Acide prope Catinam. Ex officina Aetnae, 1899.

CURCIO (Gaetano). *Le opere retoriche di M. Tullio Cicerone.* Acireale, Tipografia dell' Etna, 1900.

DRUMANN (W.). *Geschichte Roms in seinem Uebergange von der*

republicanischen zur monarchischen Verfassung, 6 vol. Königsberg, Bornträger, 1834 1844.

EGGER (Max). *Denys d'Halicarnasse. Essai sur la critique littéraire et la rhétorique chez les Grecs au siècle d'Auguste*. Paris, Picard, 1902.

ENDERLEIN (Oscarus). *De M. Antonio oratore*. Lipsiae, Leiner, 1882.

FREUND (Wilhelm). *Cicero historicus*. Leipsig, Violet, 1881.

FRITZSCHIUS (F. V.). *De numeris orationis solutae*. Rostochii, Adler, 1875.

GACHE (Ferdinand) et PIQUET (J. Sully). *Cicéron et ses ennemis littéraires*. Paris, Klincksieck, 1886.

GIRARD (Jules). *Etudes sur l'éloquence attique* (2e éd.). Paris, Hachette, 1884.

GLOËL (Friedrich). *Ueber Cicero's Studium des Plato*. Progr., Magdeburg, 1876.

HAELLINCK (Gulielmus). *M. Tullium Ciceronem libros de inventione inscripsisse rhetoricos*. Commentationes in honorem G. Studemund. Argentorati, Heitz, 1889, p. 333-354.

HAENNI (Rupert). *Die litterarische Kritik in Ciceros « Brutus »*. Sarnen, Müller, 1905.

HAGEN (Benno de). *Num simultas intercesserit Isocrati cum Platone*. Ienae, Nevenhahn, 1906.

HAMMER (Caspar). *Commentatio de Ciceronis Topicis*. Landavi, Kaussler, 1879.

HAMMER (Caspar). *Demetrius* περὶ ἑρμηνείας. *Ein literar-historischer Versuch*. Progr. Landshut, 1882.

HAVET (Ernest). *Etude sur la rhétorique d'Aristote*. Paris, Delalain, 1866.

HAVET (Louis). *Prose métrique*. (La grande Encyclopédie, XXVII, p. 804-806).

HEINICKE (Gulielmus). *De Ciceronis doctrina quae pertinet ad materiam artis rhetoricae et ad inventionem*. Regimonti, Hartung, 1891.

HEITZ (Emil). *Die Verlorenen Schriften des Aristoteles*. Leipsig, Teubner, 1865.

HEUSDE (Joannes van). *M. T. Cicero* φιλοπλάτων. Traiecti ad Rhenum, Altheer, 1835.

HIRZEL (Rudolf). *Der Dialog*., 2 vol. Leipsig, Hirzel, 1895.

HIRZEL (Rudolf). *Untersuchungen zu Cicero's philosophischen Schriften*, 3 vol. Leipsig, Hirzel, 1877-1883.

Holtzner (Eugen). *Platos Phaedrus und die Sophistenrede des Isokrates.* (Prager Studien aus dem Gebiet der klassischen Alterthumswissenschaft, Heft 4). Prag., Dominicus 1894.

Huit (Ch.). *La vie et l'œuvre de Platon*, 2 vol. Paris, Thorin, 1893.

Jaeneke (Gualtherus). *De statuum doctrina ab Hermogene tradita.* Lipsiae, Noske, 1903.

Jebb (R. C.). *The attic Orators from Antiphon to Isaeus*, 2 vol. London, Macmillan, 1881-1882.

Jentsch (Hugo). *Aristotelis ex arte rhetorica quaeritur quid habeat Cicero.* Berolini, Schade, 1886.

Jentsch (Hugo). *De Aristotele Ciceronis in rhetorica auctore*, 2 vol. Gubenae, Fechner, 1874-1875.

Klein (Ioannes Iosephus). *Dissertatio de fontibus Topicorum Ciceronis.* Bonnae, Krüger, 1844.

Kröhnert (Rudolf). *Die Anfänge der Rhetorik bei den Römern.* Progr. Memel, 1844.

Κυπριανος (Α). Τὰ ἀπορρητὰ τοῦ Ἰσοκράτους. Ἐν Ἀθήναις, ἐκ τοῦ τυπογραφείου Ἑρμοῦ, 1871.

Lange (Edmundus). *Quid cum de ingenio et litteris, tum de poetis Graecorum Cicero senserit.* Halis Saxonum, Karras, 1880.

Lantoine (H.). *De Cicerone contra Atticos disputante.* Parisiis, Thorin, 1874.

Lieby (A.) *Quantum philosophiae studio ad augendam dicendi facultatem Cicero tribuerit.* Parisiis, Societas gallica libraria, 1901.

Liers. *Rhetoren und Philosophen im Kampfe um die Staatsweisheit.* Progr. Waldenburg, 1888.

Linderbauer (Benno). *De verborum mutuatorum et peregrinorum apud Ciceronem usu et compensatione*, 2 vol. Progr. Metten, 1892-1893.

Merchant (Franciscus Ioannes). *De Ciceronis Partitionibus Oratoriis Commentatio.* Berolini, Schade, 1896.

Mesnil [Adolf] (du). *Ueber die rhetorischen Kunstformen, Komma, Kolon, Periode.* Zum zweihundertjährigen Jubiläum des K. Friedrichs-Gymnasiums. Frankfurt-a-O., Trowitzch, 1894, p. 32-121.

Müller (Ernestus). *De numero Ciceroniano.* Berolini, Fromholtz, 1886.

Müller (Franz). *Brutus de claris oratoribus, eine Selbstvertheidigung des M. Tullius Cicero.* Progr. Colberg, 1874.

MÜNSCHER (Gulielmus). *Disputatur de eo loco qui apud Ciceronem de Or. I, 11, 46, 47 est, Platonisque ac Ciceronis de arte oratoria sententiae breviter comparantur.* Progr. Hersfeld, 1833.

NAUMANN (Maximilianus). *De fontibus et fide Bruti Ciceronis.* Halis Saxonum, Karras, 1883.

NAUTA (Bavius Antonius). *Responsio ad quaestionem litterariam... Ex iis quae in libris Ciceronis de Oratore a Crasso, Antonio, Caesare, aliis de eloquentia disputantur, ipsius efficiatur Ciceronis de perfecto oratore sententia.* Traiecti ad Rhenum, van Paddenburg, 1820.

NAVARRE (Octave). *Essai sur la rhétorique grecque avant Aristote.* Paris, Hachette, 1900.

NETZKER (Hermann). *Hermagoras, Cicero, Cornificius, quid docuerint de statibus.* Kiliae, Mohr, 1879.

NORDEN (Eduard). *Die antike Kunstprosa vom VI Jahrhundert v. Chr. bis in die Zeit der Renaissance.* Leipsig, Teubner, 1898.

OLIVIER (Frank). *De Critolao peripatetico.* Berlin, Schade, 1895.

ΠΑΝΤΑΖΗΣ (Μιλτιάδης). *Ἡ Ἰσοκράτειος ῥητορική.* Ἐν Ἀθήναις, I, *παρὰ Λεώνῃ*, 1904; II, *παρὰ Σακελλαρίῳ*, 1906.

PFUND (Jan. Godofr.) *De Isocratis vita et scriptis.* Progr. Joachimsthal, 1833.

PRANTL (Carl). *Geschichte der Logik im Abendlande. I Die Entwickelung der Logik im Alterthum.* Leipsig, Hirzel, 1855.

PURGOLD (Ludovicus). *Observationes criticae in Sophoclem, Euripidem, Anthologiam Graecam et Ciceronem.* Ienae et Lipsiae, Gabler, 1802.

RABE (Hugo). *De Theophrasti libris* περὶ λέξεως. Bonnae, Georg, 1880.

RAEDER (Hans). *Platons philosophische Entwickelung.* Leipsig, Teubner, 1905.

SADOUS (A.). *De la Rhétorique attribuée à Denys d'Halicarnasse.* Paris, Joubert, 1847.

SAPIENZA (Giuseppe). *Cicerone retore.* Parte I. *Le teorie retoriche nel « de Oratore ».* Catania, Giannotta, 1896.

SALTZMANN (Friedrich). *Ueber Ciceros Kenntniss der Platonischen Schriften,* 2 vol. Progr. Clave, 1885-1886.

SANDYS (John Edwin). *A History of classical Scholarship from the sixth century b. c. to the end of the middle ages.* Cambridge, University Press, 1903.

SANNEG (Paulus). *De Schola Isocratea.* Halae Saxonum, Kircher, 1867.

SCHANZ (Martin). *Geschichte der römischen Litteratur* (Iw. Müller, Handbuch VIII). München, Beck. I (2te Aufl.), 1898 ; II, 1 (2te Aufl.), 1899 ; II, 2 (2te Aufl.), 1901 ; III (2te Aufl.), 1905 ; IV, 1, 1904.

SCHLITTENBAUER (Sebastian). *Die Tendenz von Ciceros Orator.* (Besonderer Abdruck aus dem XXVIII Supplementband der « Jahrbücher für klassische Philologie »). Leipsig, Teubner, 1903.

SCHMEKEL (A.). *Die Philosophie der mittleren Stoa.* Berlin, Weidmann, 1892.

SCHMID (Wilhelm). *Ueber den kulturgeschichtlichen Zusammenhang und die Bedeutung der griechischen Renaissance in der Römerzeit.* Leipsig, Weicher, 1898.

SCHMIDT (H.). *Quid Plato de arte rhetorica senserit.* Argentorati, Silbermann, 1855.

SCHMIDT (Maximilianus). *Commentatio de Theophrasto rhetore.* Halis Saxonum, formis Orphanotrophei, 1839.

SHEEHAN (Michael). *De fide artis rhetoricae Isocrati tributae.* Bonnae, Georg, 1901.

SPENGEL (Leonhardus). Συναγωγὴ τεχνῶν, *sive artium scriptores ab initiis usque ad editos Aristotelis de rhetorica libros.* Stuttgartiae, Cotta, 1828.

STAHR (Adolf.). *Aristoteles bei den Römern.* Leipsig, Lehnhold, 1834.

STRILLER (Franciscus). *De Stoicorum studiis rhetoricis.* (Breslauer philologische Abhandlungen, Erster Band, Zweites Heft.) Breslau, Koebner, 1886.

STROWSKI (Fortunat). *De Isocratis paedagogia.* Albiae, typis Alumnorum orphanorum, 1898.

SUSEMIHL (Franz). *Geschichte der griechischen Litteratur in der Alexandrinerzeit,* 2 vol. Leipsig, Teubner, 1891-1892.

SUSEMIHL (Franz). *Neue platonische Forschungen.* Greisswald, Kunike, 1898.

THESAURUS LINGUAE LATINAE. Lipsiae, Teubner (edi coeptus est anno 1900).

THIAUCOURT (C.) *Essai sur les traités philosophiques de Cicéron et leurs sources grecques.* Paris, Hachette, 1885.

THIELE (Georg.). *Hermagoras. Ein Beitrag zur Geschichte der Rhetorik.* Strassburg, Trübner, 1893.

THIELE (Georgius). *Quaestiones de Cornifici et Ciceronis artibus rhetoricis*. Gryphiswaldiae, 1889.

THIONVILLE (Eug.). *De la théorie des lieux communs dans les Topiques d'Aristote et des principales modifications qu'elle a subies jusqu'à nos jours*. Paris, Durand, 1855.

THUROT (Charles). *Etudes sur Aristote. Politique. Dialectique. Rhétorique*. Paris, Durand, 1867.

VESSEM (Joseph van). *De M. Tullii Ciceronis de Oratore libris*. Galopiae, Albert, 1896.

VOLKMANN (Richard). *Die Rhetorik der Griechen und Römer in systematischer Uebersicht dargestellt* (2te Aufl.). Leipsig, Teubner, 1885.

VOLKMANN (Richard). *Rhetorik* (Iw. Müller, Handbuch II, 3; Dritte Aufl. besorgt von C. Hammer). München, Beck, 1901.

VOSSIUS (Gerardus Joannes). *Commentariorum rhetoricorum sive Institutionum libri sex* (5a ed.). Marburgi, 1781.

WALLIES (Maximilianus). *De fontibus Topicorum Ciceronis*. Halis Saxonum, Haack, 1886.

WEIL (Henri). *Etudes sur l'antiquité grecque*. Paris, Hachette, 1900.

WENDLAND (Paul). *Anaximenes von Lampsakos. Studien zur ältesten Geschichte der Rhetorik*. Berlin, Weidmann, 1905.

WESTERMANN (Ant.). *Geschichte der Beredtsamkeit in Griechenland und Rom*. Leipsig, Barth. — I. *Geschichte der griechischen Beredtsamkeit*, 1833; II. *Geschichte der römischen Beredtsamkeit*, 1835.

WILAMOWITZ-MOELLENDORFF (Ulrich von). *Die griechiche Literatur des Altertums*. (Die Kultur der Gegenwart I, 8). Leipsig, Teubner, 1905.

WOLFF (Iulius). *De clausulis Ciceronianis*. Leipsig, Teubner, 1901.

WÜST (Georgius). *De clausula rhetorica quae praecepit Cicero quatenus in orationibus secutus sit*. Argentorati, Trübner, 1881.

ZELLER (Eduard). *Die Philosophie der Griechen*. Leipsig, Reisland. I (5te Aufl.), 1892; II, 1 (4te Aufl.), 1889; II, 2 (3te Aufl.), 1879; III, 1 (3te Aufl.), 1880; III, 2 (4te Aufl.).

ZIELINSKI (Th.). *Das Clauselgesetz in Ciceros Reden. Grundzüge einer oratorischen Rhythmik*. Leipsig, Weicher, 1904.

ZUREK (Josef). *Das Ideal des Redners bei Plato und Cicero*. Progr. Kremsier, 1904.

Editiones quibus maxime usus sum.

M. Tullii Ciceronis Scripta quae manserunt omnia. Recognovit C. F. W. Müller. 10 vol. Leipsig, Teubner, 1893-1901.

M. Tullii Ciceronis Opera quae manserunt omnia, ex recensione Io. Casp. Orellii. Opus morte Orellii interruptum continuaverunt J. G. Baiterus et Car. Halmius. Turici, Orelli. I-IV (2a ed.), 1845-1851; V-VIII (Scholiastae, Onomasticon, Indices...), 1833-1837.

M. T. Ciceronis Opera rhetorica recensuit et illustravit C. G. Schütz. Lipsiae, Goeschen, 1804-1808.

Artis rhetoricae libri duo. Recensuit A. Weidner. Berolini, Weidmann, 1878.

De Oratore. Liber Primus. Texte latin... revu et publié par E. Courbaud. Paris, Hachette, 1905.

— erklärt von K. W. Piderit. (Sechste Aufl. besorgt von O. Harnecker). Leipsig, Teubner, 1886-1890.

— erklärt von G. Sorof. Berlin, Weidmann, I (2te Aufl.), 1882; II, III, 1875.

— with introduction and notes by A. S. Wilkins. Oxford, Clarendon Press, 1892.

— Testo riveduto ed annotato da A. Cima. Torino, Loescher. I (2a ed.), 1900; II, 1887; III, 1891.

— Recensuit Th. Stangl. Pragae, Tempsky; Lipsiae, Freytag, 1893.

Partitiones Oratoriae, erklärt von K. W. Piderit. Leipsig, Teubner, 1867.

Brutus avec un commentaire critique et explicatif.., et une introduction par J. Martha. Paris, Hachette, 1892.

— erklärt von K. W. Piderit. (3te Aufl. besorgt von W. Friedrich). Leipsig, Teubner, 1889.

— erklärt von O. Jahn. (4te Aufl. besorgt von A. Eberhard). Berlin, Weidmann, 1877.

— Testo riveduto ed illustrato da P. Ercole. Torino, Loescher, 1891.

— Recensuit Th. Stangl. Pragae, Tempsky, 1886.

Orator, with introductory essays and critical and explanatory notes by J. E. Sandys. Cambridge, University Press, 1885.

— erklärt von K. W. Piderit. (2[te] Aufl.). Leipsig, Teubner, 1876.

— erklärt von O. Jahn. (3[te] Aufl.). Berlin, Weidmann, 1869.

— Recensuit F. Heerdegen. Lipsiae, Teubner, 1884.

Cicéron. Morceaux choisis des traités de rhétorique, par E. Thomas. Paris, Hachette, 1897.

Ciceros rhetorische Schriften. Auswahl nebst Einleitung von O. Weissenfels. Leipsig, Teubner, 1893.

De Finibus bonorum et malorum. D. J. Madvig recensuit et enarravit (3[a] ed.). Hauniae, Hegel, 1876.

Paradoxa... adnotationem veterum et recentiorum interpretum... adiecit G. H. Moser. Gottingae, Dieterich, 1846.

The Correspondence of M. Tullius Cicero, with a commentary and introductory essays by R. Y. Tyrrell and L. C. Purser. Dublin, Hodges ; London, Longmans. I (3[d] ed.), 1904 ; II (2[d] ed.), 1890, 1906; III-VII, 1890-1901.

Platonis Dialogi. Ex recognitione Caroli Friderici Hermanni (editio stereotypa). 6 vol. Lipsiae, Teubner, 1892-1899.

The Phaedrus of Plato, with english notes and dissertations by W. H. Thompson. London, Wittaker, 1868.

Platonis Phaedrus. Recensuit, prolegomenis et commentariis instruxit G. Stallbaum. Editio secunda. Gothae, Hennings, 1857.

The Gorgias of Plato, with english notes introduction and appendix by. W. H. Thompson. (Reprinted from the first edition). London, Bell, 1894.

Isocratis Orationes. Editio altera stereotypa curante Friderico Blass. 2 vol. Lipsiae, Teubner, 1902-1904.

Le Discours d'Isocrate sur lui-même, traduit par A. Cartelier, avec une introduction par Ernest Havet. Paris, Imprimerie impériale, 1862.

Oratores Attici. Recensuerunt, adnotaverunt,.. J. G. Baiterus et H. Sauppius. 2 vol. Turici, Hoehr, 1850.

— Graece cum translatione refficta a C. Mullero. 2 vol. Parisiis, Didot, 1847-1858.

The Rhetoric of Aristotle, with a commentary by E. M. Cope, revised and edited by J. E. Sandys. 3 vol. Cambridge, University Press, 1877.

Aristotelis ars rhetorica, cum adnotatione L. Spengel. 2 vol. Lipsiae, Teubner, 1867.

Aristotelis Opera omnia [Ed. Dübner, Bussemaker, Heitz]. 5 vol. Parisiis, Didot, 1862-1874.

Theophrasti Eresii Opera quae supersunt omnia. Recensuit... F. Wimmer. Parisiis, Didot, 1866.

Demetrii Phalerii qui dicitur de elocutione libellus. Praefatus recensuit L. Radermacher. Lipsiae, Teubner, 1901.

— edited with introduction, etc, by W. R. Roberts. Cambridge, University Press, 1902.

Rhetores Graeci. Ex recognitione L. Spengel. Lipsiae, Teubner. I (ed. C. Hammer), 1894; II, 1854; III, 1856.

— Edidit, suis aliorumque annotationibus instruxit C. Walz. 9 vol. Stuttgartiae et Tubingae, Cotta, 1832-1836.

Fragmenta philosophorum Graecorum. Collegit, recensuit, vertit Fr. G. A. Mullachius. 3 vol. Parisiis, Didot, 1860-1881.

Stoicorum veterum fragmenta. Collegit Ioannes ab Arnim. Lipsiae, Teubner, 3 vol., 1903-1905.

Philodemi volumina rhetorica. Edidit S. Sudhaus. Lipsiae, Teubner, 2 vol. et « Supplementum », 1892-1896.

Dionysius Halicarnasseus. Opuscula. Ediderunt. H. Usener et L. Radermacher. Lipsiae, Teubner. I, 1899; II, 1, 1904.

De sublimitate libellus. Tertium edidit I. Vahlen. Lipsiae, Teubner, 1905.

Plutarchi Vitae. Secundum codices Parisinos recognovit T. Doener. 2 vol. Parisiis, Didot, 1857-1862.

Plutarque. Vie de Cicéron. Texte revu... par Ch. Graux. Paris, Hachette, 1889.

Sextus Empiricus. Ex recensione Immanuelis Bekkeri. Berolini, Reimer, 1842.

Diogenis Laertii. De Clarorum Philosophorum vitis, dogmatibus et apophthegmatibus libri decem... Recensuit C. G. Cobet. Parisiis, Didot, 1862.

Anecdota graeca. E. codd. manuscriptis bibliothecae regiae Pari-

siensis edidit J. A. Cramer. 4 vol. Oxonii, e typographeo Academico, 1839-1841.

Suidae Lexicon. Ex recensione Immanuelis Bekkeri. Berolini, Reimer, 1854.

M. Catonis praeter librum de Re rustica quae exstant Henricus Jordan recensuit... Lipsiae, Teubner, 1860.

Incerti auctoris de ratione dicendi ad C. Herennium libri IV. Edidit F. Marx. Lipsiae, Teubner, 1894.

Cornifici Rhetoricorum ad C. Herennium libri IIII. Recensuit et interpretatus est C. L. Kayser. Lipsiae, Teubner, 1854.

Rhetoricorum ad Herennium libri quatuor et de inventione libri duo. Cum integris Lambini... Fulvii Ursini... notis... curante P. Burmanno. Lugduni Batavorum, 1761.

Calvus. Edition complète des fragments et des témoignages, par F. Plessis, avec un Essai sur la polémique de Cicéron et des Attiques, par J. Poirot. Paris, Klincksieck, 1896.

Q. Asconii Pediani Orationum Ciceronis quinque Enarratio. Recensuerunt A. Kiessling et R. Schöll. Berolini, Weidmann, 1875.

M. Fabii Quintiliani Institutionis oratoriae libri duodecim. Recensuit E. Bonnell (editio stereotypa). 2 vol. Lipsiae, Teubner, 1884-1889.

— cum integris commentariis Georgii Ludovici *Spalding*, quibus novas lectiones et notas adiecit J. J. Dussault. 7 vol. Parisiis, Lemaire, 1821-1825.

Tacite. Dialogue des Orateurs, publié avec une introduction et un commentaire, par H. Gœlzer. Paris, Hachette, 1887.

C. Suetonii Tranquilli quae supersunt. Recensuit C. L. Roth (editio stereotypa). Lipsiae, Teubner, 1902.

C. Suetoni Tranquilli praeter Caesarum libros Reliquiae. Edidit A. Reifferscheid. Lipsiae, Teubner, 1860.

A. Gellii Noctium Atticarum libri XX. Post M. Hertz edidit C. Hosius. 2 vol. Lipsiae, Teubner, 1903.

Rhetores Latini Minores. Emendabat C. Halm. Lipsiae, Teubner, 1863.

Grammatici Latini. Ex recensione H. Keilii. 7 vol. et « Supplementum ». Lipsiae, Teubner, 1857-1880.

Ratio temporum	Anni Urbis conditae.	Ante Christum natum.
De Inventione. . . . . . *(ut videtur :)*	668	86
Divinatio in Caecilium	684	70
Pro Archia	692	62
De Oratore	699	55
Partitiones Oratoriae. . . . *(ut vid. :)*	700	54
Epistula ad Quintum 3, 3 (4).	700	54
Epistulae ad Atticum 9, 4; 9, 9 (1). . .	705	49
Brutus	708	46
Orator	708	46
De Optimo genere Oratorum. *(ut vid.:)*	708	46
De Finibus	709	45
Tusculanae Disputationes	710	44
Topica	710	44

CAPUT I

Quanti artem rhetoricam M. Tullius fecerit

Cum de multis aliis difficile est scire quid M. Tullius senserit, tum de utilitate artis rhetoricae quam sententiam tenuerit non facile potest diiudicari. Itaque alii eum numquam vere dubitasse putant quin rhetorum praecepta ad pariendam aut perficiendam eloquentiam conducerent [1]; alii vero libros de Oratore contra ipsam rhetoricam scriptos esse [2], Ciceronem rhetorum adversarium fuisse [3] contendunt. Quare conabor quae ei opinio fuerit investigare.

§ 1. — Argumenta generalia.

Ac primum multa sunt quae significent Ciceronem permagni artem rhetoricam fecisse. Eam enim multis

1. E. Havet, *Étude sur la Rhétorique d'Aristote*, p. 80-81.

2. H. Gœlzer, *Dialogue des orateurs, Introduction*, p. XLIII : « l'idée que Cicéron développait avec tant de force et d'originalité « dans le *de Oratore*, à savoir que la vraie éloquence doit dédai- « gner la rhétorique ».

3. (Cicéron), « le plus redoutable adversaire des rhéteurs ». (A. Sadous, *De la rhétorique attribuée à Denys d'Halicarnasse*, p. 22). « Ferner zieht Cicero in diesem Werke (*De Oratore*) ähnlich « wie Plato, scharf gegen die Rhetoren los ». (Zurek, *Das Ideal « des Redners bei Plato and Cicero*, p. 17). — Similiter A. Lieby, *Quantum philosophiae studio ad augendam dicendi facultatem Cicero tribuerit*, p. 31.

libris explicavit. Libros de Inventione [1] refertos esse rhetorum praeceptis nemo est qui negare possit ; quae vero postea Cicero scripsit ab iisdem praeceptis minime aliena sunt. In Bruto partes artis rhetoricae variaque rhetorum effata non semel commemorat ; immo interdum nulla alia ratione ad laudandos vituperandosve oratores uti videtur nisi ut exquirat quid in inventione, dispositione, elocutione, memoria, actione valuerint [2]. Exempla pauca afferam :

Quibus enim ex *quinque* rebus constare dicitur, earum una quaeque est ars ipsa magna per sese. Brut., 6, 25.

Ex hac Rutili narratione suspicari licet, cum *duae* summae sint in oratore laudes, una subtiliter disputandi ad *docendum,* altera graviter agendi ad animos audientium *permovendos,* multoque plus proficiat is qui inflammet iudicem quam ille qui doceat, elegantiam in Laelio, vim in Galba fuisse. Brut., 23, 89.

Sed ei tamen unum illud habebant, dicendi opus elaboratum ; idque cum constaret ex *quinque* notissimis partibus, nemo in aliqua parte earum omnino nihil poterat... *Reperiebat* quid dici opus esset et quo modo praeparari et quo loco *locari, memoriaque* ea comprendebat Antonius, excellebat autem *actione... ;* at Crassi magis *nitebat oratio* [3]. Nec vero Sulpicio neque Cottae dicere possumus, neque cuiquam bono oratori, rem ullam ex illis *quinque* partibus plane atque omnino defuisse. Itaque in Curione hoc verissime iudicari potest, nulla re una magis oratorem commendari quam *verborum* splendore et copia. Nam, cum tardus in *cogitando*, tum in *struendo* dissipatus fuit. *Reliqua duo* sunt, agere et *meminisse;* in utroque cachinnos inridentium commovebat. Brut., 59, 214-60, 216.

1. Sic arbitror, perspicuitatis causa, vocari posse eos libros quos non nego a Cicerone inscriptos esse *rhetoricos.* Cf : Haellinck, *M. Tullium Ciceronem libros de inventione inscripsisse rhetoricos. Commentationes in honorem G. Studemund,* p. 333-354.

2. J. Martha (*Brutus, Introduction,* p. XXI-XXII) id recte animadvertit ; nulla tamen exempla protulit. Paucissima collegit Haenni, *Die litterarische Kritik in Ciceros « Brutus »,* p. 9-11.

3. Id est *elocutio.*

Rem *videbat* acute, *componebat* diligenter, *memoria* valebat... Expedita autem erat et perfacile currens *oratio;*... *actio* paulum cum vitio vocis, tum etiam ineptiis claudicabat. Brut., 63, 227.

Ornari orationem Graeci putant, si *verborum immutationibus* utantur, quos appellant τρόπους, et *sententiarum orationisque formis,* quae vocant σχήματα : non veri simile est quam sit in utroque genere et creber et distinctus Cato. Brut., 17, 69.

Omnia *veniebant* Antonio *in mentem;* eaque *suo* quæque *loco*... Erat *memoria* summa... In *verbis* et eligendis, neque id ipsum tam leporis causa quam ponderis, et conlocandis, et comprensione deviinciendis, nihil non ad rationem et tamquam ad artem dirigebat; verum multo magis hoc idem in *sententiarum ornamentis et conformationibus*... Σχήματα enim quae vocant Graeci, ea maxime *ornant* oratorem... Sed cum haec magna in Antonio, tum *actio* singularis, quae si *partienda* est in *gestum* atque *vocem*.... Brut., 37, 139-38, 141.

Haec quidem in Bruto, quo in libro non tam ipsa ars dicendi explicatur quam Romanae eloquentiae historia narratur. In Partitionibus vero oratoriis nihil fere continetur nisi rhetorum praecepta. In Oratore, Cicero minutissima quaeque de elocutione ac praesertim de numero oratorio persequitur, ceteras rhetoricae partes breviter attingit [1]. Topica denique, quae ultimo aetatis anno conscripsit, clarius ceteris eius libris ostendunt quam suas fecerit locorum partitiones : quamquam enim

1. Quoniam *tria* videnda sunt oratori, quid dicat, et quo quidque loco, et quo modo, dicendum omnino est quid sit optimum in singulis. Or. 14, 43. Iam vero ea quae *invenerit,* qua diligentia *conlocabit?*... Atque in primis duabus dicendi partibus qualis esset summatim breviterque descripsimus... Or. 15, 50. Cum autem et *quid* et quo *loco* dicat *invenerit,* illud est longe maximum : videre quonam modo. Or. 16, 51. Et quoniam coepi iam cumulatius hoc munus augere, quam a te postulatum est — tibi enim tantum de *orationis* genere quaerenti respondi etiam breviter de *inveniendo* et *conlocando* — ne nunc quidem solum de orationis modo dicam sed etiam de *actionis :* ita praetermissa *pars nulla* erit, quando quidem de *memoria* nihil est hoc loco dicendum. Or. 17, 54.

memoriter conscripta sunt, tamen permultas divisiones continent et quasi totam de inventione doctrinam.

Nec in rhetoricis modo libris haec tradit, sed aliquando in aliis operibus quaedam rhetorica praecepta ita commemorat ut significet ea sibi non inutilia videri :

E quibus *locis* quasi thesauris argumenta depromerentur vestri (Stoici) ne suspicati quidem sunt, superiores (Peripatetici) autem artificio et via tradiderunt. Quae quidem *ars* efficit ne necesse sit isdem de rebus semper quasi dictata decantare neque a commentariolis suis discedere. Nam qui sciet ubi quidque positum sit, quaque eo veniat, is, etiamsi quid obrutum erit, poterit eruere semperque esse in disputando suus. Quodetsi ingeniis magnis praediti quidam dicendi copiam sine ratione consequuntur, *ars tamen est dux certior quam natura*. Fin., 4, 4, 10.

Ut in causis non semper utimur eodem *statu* (sic enim appellamus controversiarum genera)... Tusc. 3, 33, 79. Cf. de Div., 2, 26, 55 ; Fin., 4, 3, 6.

In ipsis epistulis, cum graecas voces ad artem rhetoricam pertinentes usurpat [1], tum ostendit a se artem illam non sperni.

Accedit quod in Bruto, omnia aperiens quae ad eloquentiam suam conformandam contulisse iudicat, se cum rhetoribus exerceri solitum esse narrat; et sicut suos iuris et philosophiae magistros enumerat, sic rhetores non omittit; quosdam ex eis honorifice laudat, Molonisque disciplinam sibi maxime profuisse confitetur.

Moloni Rhodio dedimus operam et actori summo causarum et magistro. Brut., 89, 307 vel 90, 312 [2].

Eodem tamen tempore Athenis apud Demetrium Syrum veterem et non ignobilem *dicendi magistrum studiose exerceri solebam*. Post a me Asia tota peragrata est cum sum-

1. Eas collegit G. Ammon, *Blätter für das bayer. Gymn.* XXXIV, 1898, p. 732-736.

2. Cf. *Brutus*, ed. Martha, p. 225 ; Marx, *ad Herennium*, proleg., p. 161.

mis quidem oratoribus [1], quibuscum *exercebar* ipsis lubentibus, quorum erat princeps Menippus Stratonicensis, meo iudicio tota Asia illis temporibus disertissimus... *Adsiduissime* autem *mecum fuit* Dionysius Magnes; erat etiam Aeschylus Cnidius, Adramyttenus Xenocles. Hi tum in Asia rhetorum principes numerabantur. Quibus non contentus, Rhodum veni, meque *ad eumdem* quem Romae audiveram *Molonem applicavi,* cum actorem in veris causis scriptoremque praestantem tum in notandis animadvertendisque vitiis et instituendo docendoque prudentissimum. Is dedit operam, si modo id consequi potuit, ut nimium redundantes nos et supra fluentes iuvenili quadam dicendi impunitate et licentia reprimeret, et quasi extra ripas diffluentis coerceret. Ita recepi me biennio post non modo *exercitatior* sed prope mutatus. Brut., 91, 315-316.

§ 2. — Libri de Oratore num contra rhetores conscripti sint.

At facile est ex libris de Oratore [2] multa colligere quae apertissime contra rhetores dicta videantur :

Nec mihi opus est Graeco aliquo *doctore* qui mihi pervolgata praecepta decantet cum ipse numquam forum, numquam ullum iudicium aspexerit. De Or., 2, 18, 75.

Nullum... nobis certamen cum *istis* esse debet. Tantum satis est intelligi ne hoc quidem eos consecutos, quod in tanto otio etiam sine hac forensi exercitatione efficere potuerunt, ut genera rerum discernerent, eaque paulo suptilius explicarent. De Or., 2, 32, 139.

Quomodo nunc se *istorum artes* habent, pertimescendast multitudo causarum... De Or., 2, 32, 140.

Omnes istos, me auctore, *deridete atque contemnite,* qui *se horum, qui nunc ita appellantur, rhetorum* praeceptis omnem oratorum vim complexos esse arbitrantur, neque adhuc quam personam teneant aut quid profiteantur intelligere potuerunt. De Or., 3, 14, 54.

Si satis esse putatis ea, quae *isti scriptores artis* docent,

1. *Graecos* illos oratores (ῥήτορες) vere rhetores fuisse manifestum est.

2. De iis quae in Oratore (3, 12) leguntur, postea dicam (p. 20).

discere,... ex ingenti quodam oratorem immensoque campo in exiguum sane gyrum compellitis. De Or., 3, 19, 70.

Hos omnes qui artis rhetoricas exponunt *perridiculos*. De Or., 3, 20, 75.

Illud rursus ipsum quod tradunt *isti*, qui profitentur se dicendi magistros, non multum est maius quam illud vulgare ac forense. De Or., 3, 24, 92.

Non est paucorum libellorum hoc munus *ut ii qui scripserunt de dicendi ratione* arbitrantur. De Or., 3, 30, 121.

Ille haud sane quem ad modum verba struat et inluminet a *magistris* istis requiret. De Or., 3, 31, 125.

Ex quibus omnibus Cicero videri potest, tunc saltem cum libros de Oratore scripsit, artem rhetoricam sprevisse. Sed praeterquam quod Partitiones Oratoriae eodem fere tempore compositae sunt [1], in ipsis iis de Oratore libris multa reperiuntur, quae Ciceronem a rhetorum sententiis non discessisse demonstrent. Nam ipsam rhetorum de arte dicendi doctrinam tradit, quinque partes artis rhetoricae distinguit et tractat, agit de inventione [2], collocatione [3], elocutione [4], memoria [5], actione [6]. Orationem, rhetorum more, partitur in exordium, narrationem, propositionem, argumentationem, perorationem [7]. Immo, cum virtutes elocutionis explicat, ea partitione utitur quam ante a rhetoribus tradi solere dixerat :

Audieram etiam quae de orationis ipsius ornamentis traderentur : *in quo praecipitur* primum ut pure et *Latine* loquamur, deinde ut *plane* et dilucide, tum ut *ornate*, post

1. Quo tempore conscriptae sint *Partitiones Oratoriae* non una est omnium sententia. Certa tamen et firma puto esse argumenta quae attulit R. Hirzel, *Der Dialog*, I, p. 493, n. 4.
2. De Or., 2, 24, 99-75, 306.
3. De Or., 2, 76, 307-81, 332.
4. De Or., 3, 10, 37-55, 212.
5. De Or,, 2, 85, 350-88, 360.
6. De Or., 3, 56, 213-61, 227.
7. De Or., 3, 10, 37-55, 212, Cf. 1, 31, 143.

ad rerum dignitatem *apte* et quasi decore. De Or., 1, 32, 144. Cf. 1, 31, 137 : non negabo me ista omnium communia et contrita praecepta didicisse.

Quinam igitur dicendi est modus melior... quam ut *Latine*, ut *plane*, ut *ornate*, ut ad id quodcumque agetur *apte* congruenterque dicamus ? De Or., 3, 10, 37.

Faciles... partes eae fuerunt duae.,. *Latine* loquendi *planeque* dicendi. De Or., 3, 14, 52.

Id est quod dico *ornate*. De Or., 3, 14, 53.

Exposui fere ut potui quae maxime ad *ornatum* orationis pertinere arbitrabar. De Or., 3, 52, 199.

Quoniam de *ornatu* omni orationis sunt omnes si non patefacti at certe commonstrati loci, nunc quid *aptum* sit, hoc est quid maxime deceat in oratione, videamus. De Or., 3, 55, 210.

Denique eum perfectum esse oratorem declarat qui in quinque artis rhetoricae partibus perfectionem assecutus sit atque absolutionem :

Si quis universam et propriam oratoris vim definire complectique volt, is orator erit mea sententia hoc tam gravi dignus nomine qui, quaecumque res inciderit quae sit dictione explicanda, *prudenter* et *composite* et *ornate* et *memoriter* dicet cum quadam *actionis* etiam dignitate [1]. De Or., 1, 15, 64.

§ 3. — Num libri de Oratore contra « rhetores Latinos » scripti sint

Ex iis igitur quae modo attulimus constat libros de Oratore non contra *omnes* rhetores neque contra ipsam rhetoricam esse scriptos [2]. Cum tamen negari non possit

1. Quinque partes rhetoricae hic significari editores omnes intellegunt. Vide adnotationes quas adposuerunt Piderit-Harnecker, Sorof, Wilkins, Cima, Courbaud.

2. Obici nequit de Or., 1, 29, 133 : « Nostro more aliquando *non rhetorico* loquamur ». (Thomas. *Morceaux choisis,...* p. XII). Nam statim additur : « *Minime vero,* inquit Cotta ». Cottae deinde et Sulpicio Crassus obsequitur. Ceterum Crassus dixerat « *Sermonem alio transferamus* et nostro more aliquando non rhetorico

aliquos saltem rhetores atque aliquam artem rhetoricam in iis reprehendi, quaerendum est quos homines aut quod genus rhetoricae Cicero vituperaverit.

Libris de Oratore *Latinos* rhetores, ac praecipue L. Plotium Gallum, exagitari, Marx [1], Hirzel [2], Norden [3], doctissimi viri, nuper contenderunt. Argumenta, quae pro hac sententia possunt afferri, quattuor sunt [4] :

I. — Praecipuas in dialogo partes agit Crassus a quo rhetores Latinos Roma pulsos esse constat.

II. — Libri de Oratore editi sunt vix uno anno postquam L. Plotius Gallus, rhetor latinus, Atratino Caelium, Ciceronis amicum, accusanti scripsit orationem.

III. — In libris de Oratore non modo multa contra rhetores dicuntur sed etiam *unus* locus [5] invenitur in quo Crassus ostendit cur *Latinos* rhetores expulerit, non vero Graecos.

IV. — Laudantur a Cicerone Graeci ; Graecos rhetores Latini ignorare aut despicere conabantur.

Has tamen rationes fateor mihi non valde firmas videri.

*
* *

I. — Quod enim Crassus primas in dialogo partes agit mirum sane non est. Cum enim vellet Cicero oratores de eloquentia disputantes inducere, nullos alios aptiores eligere poterat quam Crassum et Antonium,

loquamur », neque tam ab arte rhetorum quam ab ipsa eloquentia de qua loqui non solebat (Cf. de Or., 1, 21, 97 ; 1, 22, 99-100 ; 1, 35, 163 ; 1, 47, 206 ; 2, 4, 15) sermonem avertere volebat.

1. *Ad Herennium libri IV. Prolegomena,* p. 142.
2. *Der Dialog,* I, p. 481.
3. *Die antike Kunstprosa,* p. 222-224.
4. Norden ibid. haec argumenta esse dicit; quæ minus perspicue a ceteris proponuntur.
5. De Or., 3, 24, 93-94. Cf. p. 10.

quos tanti faciebat, quos tot laudibus cumulare solebat, quos denique ante se maximos fuisse censebat [1]. Cur autem Crasso paulo ampliores partes tribuerit quam ipsi Antonio facile intellegitur. Notum enim erat Crassum litterarum et doctrinae plus attigisse quam Antonium; curabat autem Cicero ne homines ita induceret loquentes ut qui eos nossent sermonem nimis a veritate alienum iudicarent [2]. Praeterea similior erat Crassus Ciceroni, et facilius poterat eam eloquentiae formam ac speciem adumbrare quam ipse Cicero excellentem putabat. Crassus denique, ex omnibus Romanis oratoribus qui vita excesserant, eloquentissimus erat, et maxime idoneus qui confiteretur sibi deesse aliquid, alium aliquem praediceret ingenio maiore praeditum, melioribus instructum disciplinis, tandem ad perfectam eloquentiam perventurum.

II. — L. Plotium Gallum Ciceronis inimicum fuisse nullo argumento comprobatur. Exstat quidem in Suetoni de rhetoribus libello, *unum* testimonium ex quo constat Caelium Atratino exprobrasse quod orationem dictante Plotio scripsisset :

> Hunc eundem (nam diutissime vixit) M. Caelius in oratione quam pro se de vi habuit significat dictasse Atratino, accusatori suo, actionem. Sueton. de rhet. 2.

Qua irrisione non certo probatur vere dictatam esse Atratino a L. Plotio orationem. Ceterum etiam si hoc constaret, immo si L. Plotius ipse accusator Caeli fuisset, non posset inde concludi libros de Oratore contra istum Plotium scriptos esse.

De ceteris rhetoribus Latinis — si qui tunc vivebant —

1. Brut., 36, 138-44, 165; 47, 173; 50, 186; 59, 215; Or., 30, 106; Div. Caec., 8, 25; Ver., 2, 78, 191, etc.
2. De Or., 2, 2, 9; Att., 4, 16, 3.

mirum silentium est [1] ; neque intellegere possum cur illi fingantur Ciceronis inimici fuisse, de quibus neque ipse Cicero, qui toties inimicorum suorum mentionem fecit, neque alii scriptores quicquam tradiderunt, quo simultas illa demonstraretur.

III. — Gravius est illud argumentum ex iis ductum quae contra rhetores Latinos in libris de Oratore dicuntur. At ex omnibus eorum librorum locis in quibus rhetores exagitantur, *unus* est in quo *Latini* rhetores nominentur. Qui locus est, ut fateor, gravissimus ; in eoque Tullius videtur aperte Latinos rhetores insectari :

Rerum est silva magna, quam cum Graeci iam non tenerent, ob eamque causam iuventus nostra dedisceret paene discendo, etiam *Latini*, si dis placet, hoc biennio *magistri dicendi exstiterunt ;* quos ego censor edicto meo sustuleram, non quo, ut nescio quos dicere aiebant, acui ingenia adulescentium nollem sed contra ingenia obtundi nolui, corroborari impudentiam. Nam *apud Graecos,* cuicuimodi essent, videbam tamen esse praeter hanc exercitationem linguae *doctrinam* aliquam et humanitatem dignam scientia : *hos vero novos magistros* nihil intelligebam posse docere nisi ut auderent ; quod etiam cum bonis rebus coniunctum per se ipsum est magnopere fugiendum. Hoc cum unum traderetur et cum impudentiae ludus esset, putavi esse censoris ne longius id serperet providere. De Or., 3, 24, 93-94.

Sed animadvertendum est hunc solum locum librorum de Oratore contra rhetores Latinos afferri posse, plures vero contra rhetores Graecos :

Gerendus est tibi mos adulescentibus, Crasse, qui non *Graeci* [alicuius] cotidianam *loquacitatem sine usu* neque ex scholis cantilenam requirunt. De Or., 1, 23, 105.

Nec mihi opus est *Graeco aliquo doctore* qui mihi per-

1. Paucissima quae sciuntur vide apud Kröhnert, *Die Anfänge der Rhetorik bei den Römern,* p. 21-22.

volgata praecepta decantet, cum ipse nunquam forum, nunquam ullum iudicium aspexerit. De Or., 2, 18, 75.

Attentum monent *Graeci* ut principio faciamus iudicem et docilem : quae sunt utilia, sed non principii magis propria quam reliquarum partium. De Or., 2, 79, 323.

Quare *Coracem istum* vestrum patiamur nos quidem pullos suos excludere in nido, qui evolent *clamatores odiosi ac molesti*, *Pamphilumque nescio quem* sinamus in infulis tantam rem tanquam puerilis delicias aliquas depingere. De Or., 3, 21, 81.

Verbi enim controversia iamdiu torquet *Graeculos* homines, contentionis cupidiores quam veritatis. De Or., 1, 11, 47.

Quis enim est *istorum Graecorum* qui quemquam nostrum quicquam intellegere arbitretur ? De Or., 2, 19, 77.

IV. — Minime constat Graecos a rhetoribus Latinis despectos esse. Scimus quidem eum qui libros ad Herennium quattuor misit multa a Graecis surripuisse, fere nihil eis acceptum rettulisse. Sed de ceteris Latinis rhetoribus nihil nobis memoria traditum est unde similia concludere liceat. Ciceronem vero ipsum, cum libros de Oratore scriberet, Graecis favere voluisse quis credat, cum tam acerbe eos modo audiverimus in iis libris irrisos ?

Non igitur potius contra Latinos rhetores quam contra Graecos libri de Oratore scripti sunt.

§ 4. — Num Graecorum institutio oratoria vituperetur.

At haec ipsa quae in Graecos acerbe dicta protulimus ad aliam quamdam sententiam nos perducere videntur, quam propugnavit Cima [1] : Ciceronem ostendere voluisse

1. *Dell' Oratore libri tre*, II, p. XIX. Graecos a Cicerone vituperari censet quoque vir doctissimus Ae. Thomas : « Il y a en vérité dans ce grand ouvrage de Cicéron quelqu'un de volontairement

quantum praestaret oratoriae Graecorum institutioni Romana educatio. Quae interpretatio fortasse tenenda esset, nisi reperirentur quoque alii loci, in quibus Cicero se Graecis non adversari, aut etiam Graecorum doctrinam rhetoricam Latine tradere aperte significat :

Non quo illa contemnam quae Graeci dicendi artifices et doctores reliquerunt, sed quom illa pateant in promptuque sint omnibus, neque ea interpretatione mea aut ornatius explicari aut planius exprimi possint, dabis hanc veniam, mi frater... De Or., 1, 6, 23.

Crassus heri, quom vos, Catule et Caesar, non adessetis, *posuit* breviter in artis distributione *idem quod Graeci* plerique posuerunt. De Or., 2, 10, 41.

Non sum, inquit, nescius, Scaevola, ista *inter Graecos* dici et disceptari solere. De Or., 1, 11, 45.

Haec... ab his philosophis quos tu maxime diligis, Catule, dicta sunt. De Or., 3, 49, 187.

Tu vero, inquit Catulus, collegisti omnia ita divinitus, ut non a *Graecis* sumpsisse sed eos ipsos haec docere posse videare. De Or., 3, 61, 228.

§ 5. — Quid Cicero a rhetorica abiudicet, quid ei tribuat.

Cum igitur neque contra Latinos doctores pro Graecis, neque contra Graecos pro Latinis libri de Oratore scripti sint, exquirendum est quos tandem rhetores aut quodnam genus artis rhetoricae Cicero vituperaverit. Cuius quaestionis quanta sit difficultas non ignoro ; arbitror tamen omnia, quae maxime obscura et pugnantia in libris de Oratore reperiantur, inter se componi et quasi coagmentari posse, si singula, ex iis quae Cicero aperte declaravit, illustrentur.

sacrifié : c'est le maître grec et les livres qu'il a inspirés ; Crassus et Antoine et tous ne cessent de le railler. » (Cicéron. *Morceaux choisis*,... p. XIII, cf. p. XI-XII).

Artem rhetoricam inutilem esse nunquam Cicero dixit, sed *eam solam*, sine ingenio, exercitatione ac praesertim sine rerum cognitione *minime sufficere iudicat*. In primis philosophiae studium, maxime Academicae, commendat, iuris, historiae, ceterarum rerum scientiam non neglegendam putat. Simul tamen artis rhetoricae praecepta oratori discenda, iis naturam adiuvari, ex iis veram utilitatem percipi ait, modo cum aliis magis necessariis coniungantur :

Tum Antonius vehementer se assentire Crasso dixit, quod *neque ita* amplecteretur artem, ut ii solerent qui *omnem vim dicendi* in arte ponerent, *neque rursus eam* totam, sicut plerique philosophi facerent, *repudiaret*. Sed existimo, inquit, gratum te iis, Crasse, facturum, si ista exposueris, quae putas ad dicendum plus quam ipsam artem posse prodesse. De Or., 1, 24, 110.

Sic igitur, inquit, sentio, Crassus, naturam primum atque ingenium ad dicendum vim afferre maximam; neque vero istis, de quibus paulo ante dixit Antonius scriptoribus artis rationem dicendi et viam sed naturam defuisse. De Or., 1, 25, 113.

Quare ego tibi oratorem sic iam instituam, si potuero, ut quid efficere possit ante perspiciam. Sit enim mihi *tinctus litteris*, audierit aliquid, legerit, *ista ipsa praecepta acceperit;* temptabo quid deceat, quid voce, quid viribus, quid spiritu, quid lingua efficere possit... De Or., 2, 20, 85.

Non negabo me ista omnium communia et contrita *praecepta didicisse*... De Or., 1, 31, 137 (Deinde Crassus praecepta maxime volgata artis rhetoricae enumerat : De Or., 1, 31, 137-32, 145).

In his... fere rebus omnis *istorum artificum doctrina* versatur, *quam* ego *si nihil dicam adiuvare*, *mentiar*. Habet enim quaedam quasi ad commonendum oratorem, quo quidque referat et quo intuens ab eo, quodcumque sibi proposuerit, minus aberret. De Or., 1, 32, 145.

Et *exercitatio* quaedam suscipienda vobis est. De Or., 1, 32, 147.

Quare confiteor equidem huius boni [1] *naturam* esse prin-

1. Agitur de memoria.

cipem *sicut earum rerum de quibus ante locutus sum;* sed *haec ars tota dicendi*, sive artis imago quaedam et similitudo est, *habet hanc vim, non ut totum aliquid,* cuius in ingeniis nostris pars nulla sit, *pariat* atque procreet, *verum ut ea quae sunt orta iam in nobis* et procreata, *educet atque confirmet.* De Or., 2, 87, 356.

Illud autem est huius institutae scriptionis ac temporis, neminem eloquentia *non modo sine dicendi doctrina* sed ne sine *omni* quidem *sapientia* florere unquam et praestare potuisse. De Or., 2, 1, 5.

Ac mea quidem sententia nemo poterit esse omni laude cumulatus orator, nisi erit omnium rerum magnarum atque artium scientiam consecutus. Et enim ex rerum cognitione ecflorescat et redundet oportet oratio; quae nisi subest res ab oratore percepta et cognita, inanem quandam habet elocutionem et paene puerilem. De Or., 1, 6, 20; cf., 1, 5, 17; 3, 35, 142-143.

Omnes animorum motus, quos hominum generi rerum natura tribuit, penitus pernoscendi. De Or., 1, 5, 17; cf. 1, 13, 56-57; 1, 14, 60; 1, 15, 68-69.

Tenenda est praeterea omnis antiquitas exemplorumque vis, neque legum ac iuris civilis scientia neglegendast. De Or., 1, 5, 18; cf. 1, 36, 166-46, 203.

Legendi etiam poetae, cognoscendae historiae, omnium bonarum artium doctores atque scriptores eligendi et pervolutandi. De Or., 1, 34, 158.

Quae omnia cum iis quae Cicero in aliis libris scripsit optime congruunt, in quibus philosophiae, praesertim Academicae, iuris, historiae, aliarum rerum cognitionem cum arte rhetorica coniungendam declaravit [1].

Ne ego, inquit, incautus qui cum *Academico* et *eodem rhetore* congredi conatus sum! Nam *neque* indisertum *Academicum* pertimuissem, *nec* sine ista philosophia *rhetorem* quamvis eloquentem; neque enim flumine conturbor inanium verborum, nec subtilitate sententiarum, si orationis est siccitas. Nat. Deor., 2, 1, 1.

Quoniam in utramque partem vobis licet disputare, hanc

1. Cf. Boissier, *La fin du Paganisme*, I, p. 186; Courbaud, *de Oratore*, I, p. XVII : « Les règles sont utiles mais d'une utilité restreinte. »

potius sumas eamque facultatem disserendi, quam tibi *a rhetoricis exercitationibus acceptam amplificavit Academia,* potius huc conferas. Nat. Deor., 2, 67, 168.

Cf. Part. Or., 23, 79; Or., 34, 119-120; Brut., 59, 214; 67, 236-237; 70, 247; 43, 161; 45, 167; 93, 322; 47, 174. Qui omnes loci ab iis quos supra (p. 2-5), laudavimus seiungendi non sunt.

§ 6. — Quos Cicero auctores et quam rationem rhetoricam sequendam esse arbitretur.

Non de omnibus iis qui praecepta dicendi reliquerunt Cicero idem iudicat sed alios non magni facit, alios autem summis ornat laudibus. « Scriptoribus artis », [1] aequalibus suis, anteponit antiquiores quosdam, Isocratem, Aristotelem; horum rationem oratoriam in libris de Oratore tradere conatur [2]. Velut in inventione rhetoribus iis qui, Hermagorae vestigia secuti, de singulis causarum generibus praecepta dabant praefert eos qui topica tradunt ad universum genus orationis pertinentia. Utilissimam iudicat exercitationem illam qua Aristoteles discipulos suos instituisse fertur ut de communi aliqua quaestione in utramque partem disputetur : id enim magni oratoris proprium esse ut a singulari ac definita

1. « Scriptores artis » (auteurs de manuels) vocat Cicero eos qui de arte rhetorica libellos in adulescentibus erudiendis usurpandos conscribebant. Cf. de Or., 1, 25, 113; 3, 19, 70; Inv, 1, 11, 16. *Thesaurus linguae Latinae,* II, 672, 24-29.

2. « Scripsi igitur Aristotelio more quem ad modum quidem volui, tres libros in disputatione ac dialogo *de Oratore* quos arbitror Lentulo tuo fore non inutilis ; abhorrent enim a communibus praeceptis atque *omnem antiquorum et Aristoteliam et Isocrateam rationem* oratoriam complectuntur. » Fam., 1, 9, 23. Nondum quaero unde Cicero doctrinam suam hauserit, utrum ex ipsorum « antiquorum » libris, an ex Academicorum Peripateticorumve, aequalium suorum. Tantum animadverto quid ipse de antiquis rhetoribus senserit.

disputatione ad latiorem quamdam controversiam avocet orationem.

Ipse Aristoteles qui haec maxime inlustravit... De Or., 2, 10, 43.

Aristoteles is, quem ego maxime admiror, posuit quosdam locos, ex quibus *omnis* argumenti ratio non modo ad philosophorum disputationem sed etiam ad hanc orationem, qua in causis utimur, inveniretur; *a quo quidem homine iam dudum, Antoni, non aberrat oratio tua.* De Or., 2, 36, 152; cf. 2, 38, 160.

Atque *isti* quidem qui docent, quom causas in plura genera secuerunt, *singulis generibus argumentorum copias suggerunt.* Quod etiam si ad instituendos adulescentulos magis aptum est, ut, simulac posita causa sit, habeant quo se referant, unde statim expedita possint argumenta depromere, tamen et tardi ingenii est rivulos consectari, fontis rerum non videre, etiam aetatis est ususque nostri a capite quod velimus arcessere et unde *omnia* manent videre. De Or., 2, 27, 117. Cf. Brut., 76, 263; 78, 271 [1].

Ac tibi sapienter monenti, Crasse, libenter adsentiemur, ut *singularum causarum defensiones, quas solent magistri pueris tradere,* relinquamus, aperiamus autem capita ea, unde *omnis* ad *omnem* et causam et orationem disputatio ducitur. De Or., 2, 30, 130.

Hic illud videndum est, in quo summus est error istorum magistrorum, ad quos liberos nostros mittimus,.. Constituunt enim in partiendis orationum modis duo genera causarum : unum appellant in quo sine personis atque temporibus de universo genere quaeratur, alterum quod personis certis et temporibus definiatur, ignari *omnis controversias ad universi generis vim et naturam referri...* Nulla denique est causa in qua id quod in iudicium venit reorum personis ac non generum ipsorum universa dubitatione quaeratur. De Or., 2, 31, 133-134; cf. 2, 32, 140; 3, 30, 120-121.

Haec quoque maxime illustrantur si cum iis comparantur quae Cicero in aliis operibus scripsit. Locos enim unde non singularum causarum defensiones sed omnis ad omnem disputationem oratio duceretur, postea

1. Cf. Thiele, *Hermagoras*, p. 84-86.

commendare non destitit [1]. Quaestiones quoque universi generis quae θέσεις vocabantur ipse non modo in libris de Oratore sed etiam in posterioribus laudavit [2]; in iis se exercuit [3] easque tanti aestimavit ut inde suum instituendi genus θετικώτερον ipse appellaret :

Cicero tuus nosterque summo studio est Paeoni sui rhetoris, hominis, opinor, valde exercitati et boni. Sed nostrum instituendi genus esse paulo eruditius et θετικώτερον [4] non ignoras. Quare neque ego impediri Ciceronis iter atque illam disciplinam volo, et ipse puer magis illo declamatorio genere duci et delectari videtur. In quo quoniam ipsi quoque fuimus, patiamur illum ire nostris itineribus; eodem enim perventurum esse confidimus. Sed tamen, si nobiscum eum rus aliquo eduxerimus, in hanc nostram rationem consuetudinemque inducemus. Ad Quint. 3, 3, 4.

Quam Ciceronis rationem si mente tenemus, intellegimus multa quae ab eo ad insectandos rhetores aut etiam ad ipsam rhetoricam irridendam dicta videantur non esse nisi contra artis scriptores recentiores pro antiquis conscripta.

Unum tandem fortasse superest notandum : si quis velit veram Tulli in libris de Oratore sententiam assequi [5], animadvertat diligentissime quos Cicero singula

1. Or., 14, 46 ; Top., 2, 7-20, 78.

2. Brut., 93, 322 ; Or., 14, 45-46 ; 36, 125-126. Cf. Moser, *Paradoxa, Excursus I*, p. 324-327.

3. Att., 9, 4, 1-3 ; 9, 9, 1 ; Parad, prooem, 5 ; Quintil. 10, 5, 11. Cf. infra, p. 92-93.

4. Hanc vocem quam Tyrrell (*The Correspondence of Cicero*, II, p. 161) perperam intellexit, Sihler (*American Journal of Philology*, XXIII, 1902, p. 283-294), optime interpretatus est. Nec tamen Tyrrell in altera editione (II², p. 187), errorem suum plane correxit : servavit enim haec omnino falsa : « a style of speaking more adapted for a judge than a jury, more addressed to the reason than to the feelings ».

5. Quam difficile id sit, ostendunt diversissimae doctorum hominum sententiae. Ceterum e Crassi et Antoni sermonibus, Ciceronis ipsius opiniones vix quisquam, ratione et via exquirere,

dicentes fecerit, quae ab altero affirmata, ab altero negentur, quae primo negata postea concedantur. Memoria quoque tenendum est, quod ante monuimus, Ciceronem id egisse ut quam minime a veritate discederet [1]. Timebat enim ne a multis reprehenderetur si ea Crassum Antoniumque dicentes induceret quae ab iis semper ignorata fuisse constaret ; notum autem erat omnibus neutrum Graecis disciplinis voluisse imbutum videri [2], Crassum edixisse ut rhetores Latini ex Urbe pellerentur [3]. Itaque non nulla ex iis quae in dialogo dicta fingit idcirco ponuntur ut veritas servata videatur. Facilius vero Ciceronis sententia ex prooemiis [4], in quibus ipse loquitur, intellegi potest.

conatus est. Brevissime quaestionem hanc absolverunt qui libros de Oratore his temporibus ediderunt. Diligentissime vero unus mihi videtur eam rem investigasse B. A. Nauta, in libello qui inscribitur : *Responsio ad quaestionem... ex iis quae in libris de Oratore a Crasso, Antonio, Caesare, aliis de eloquentia disputantur, ipsius efficiatur Ciceronis de perfecto oratore sententia.* Nec spernenda quae breviter et acute notavit Münscher in libello qui inscribitur *Disputatur de eo loco* .., p. 3-4.

1. Non de Ser. Galbae aut C. Carbonis eloquentia scribo aliquid, in quo liceat mihi fingere, si quid velim, nullius memoria iam me refellente, sed edo haec iis cognoscenda qui eos ipsos, de quibus loquor, saepe audierunt ; ut duos summos viros iis qui neutrum illorum viderint, eorum quibus ambo illi oratores cogniti sint, vivorum et praesentium memoria teste, commendemus. De Or., 2, 2, 9. Cf. Att., 4. 16, 3.

2. Sed fuit hoc in utroque eorum, ut *Crassus* non tam existimari vellet non didicisse, quam illa despicere et *nostrorum hominum in omni genere prudentiam Graecis anteferre ; Antonius* autem probabiliorem hoc populo orationem fore censebat suam, si *omnino didicisse nunquam* putaretur ; atque ita se uterque graviorem fore, si alter *contemnere,* alter ne nosse quidem Graecos videretur. De Or., 2, 1, 4.

3. Suet., *De rhet.*, 1 ; Gell, 15, 11, 2. Cf. Boissier, *Introduction de la rhétorique grecque à Rome, Mélanges Perrot,* p. 13-16 ; R. Pichon, *L'affaire des rhetores latini, Revue des Etudes anciennes,* VI, 1904, p. 37-41 ; Cima, *L'eloquenza latina prima di Cicerone,* p. 179-180.

4. De Or., 1, 1, 1-6, 23 ; 2, 1, 1-3, 11.

Ut paucis totam hanc disputationem comprehendam, multis argumentis Cicero et in editis libris et in epistulis ostendit a se artem rhetoricam non plane reici. Quae vero in libris de Oratore, contra rhetores dicta reperiuntur, eo pertinent non ut Latini rhetores potius quam Graeci, neque ut Graeci potius quam Latini vituperentur, sed ut ostendatur *ars rhetorica* sine ingenio et exercitatione ac praesertim sine rerum scientia NON SUFFICERE. Praeterea, « ANTIQUORUM » scriptorum *doctrinam* recentioribus *artibus* longe *anteponendam* Cicero arbitratur.

CAPUT II

Quid " Antiquis " Cicero debuerit

« Antiquorum »[1] doctrinam se « communibus praeceptis » anteferre Cicero saepe professus est. Neque enim solum in libris de Oratore Isocrateam et Aristoteleam rationem explicare conatus est, sed in aliis etiam operibus Platonem, Isocratem, Aristotelem dicendi auctores praestantissimos esse contendit, neque tam studet nova proferre quam veterum illorum scriptorum de arte rhetorica sententiam e tenebris et oblivione eruere novoque lumine illustrare. « Ego, inquit, me saepe nova « videri dicere intelligo, cum pervetera dicam sed inau« dita plerisque »[2]. Postquam se oratorem non ex rhetorum officinis sed ex Academiae spatiis extitisse confirmavit, haec addit : « Illa enim sunt curricula multiplicium « variorumque sermonum in quibus Platonis primum « sunt impressa vestigia »[3]. Platonem vocat « non in« telligendi solum sed etiam dicendi gravissimum auc« torem et magistrum »[4]. Isocratem ait « magnum ora« torem et perfectum magistrum » multa praeclare et scripsisse et docuisse[5]. Aristotelem queritur a rhetoribus

1. Fam., 1, 9, 23.
2. Or., 3, 12.
3. Or., 3, 12.
4. Or., 3, 10.
5. Brut., 8, 32.

philosophisque plerisque ignorari [1], eius auctoritatem saepe appellat [2]; cum eo Theophrastum aliosque « antiquos » [3] coniungit. Itaque si Ciceroni ipsi crederemus, putaremus eum longe plus antiquis illis debuisse quam scriptoribus artis, aequalibus suis [4]. At etiam cum de philosophia disputat, semper in ore Platonem Aristotelemque habet; nemo tamen hodie dubitat quin ab iis non multa sit mutuatus, multo plura a Panaetio, Posidonio, Chrysippo, Clitomacho, Antiocho, aliisque vel aequalibus suis vel paulo superioris aetatis [5]. Itaque ipsi non nimis credendum est; sed diligenter, ex eius scriptis, quid antiquis debuerit, est inquirendum.

§ 1. — Quid Platoni debuerit.

Ex Platonis dialogis, duo sunt in quibus de arte rhetorica praecipue agitur, Phaedrus et Gorgias. Hos non dubium est quin Cicero legerit, ita saepe de iis meminit [6]. Sed non omnia quae legerat in sua scripta congerebat; itaque ex iis ipsis libris non multa quae ad artem rhetoricam pertinerent, mutuatus est.

1. Top., 1, 3.
2. Inv., 1, 5, 7; De Or., 2, 36, 152; Or., 14, 46, etc.
3. ... Ut inter omnis constat *antiquos*, Aristotelem, Theophrastum, Theodecten, Ephorum..... Or., 64, 218.
4. Ita videtur sentire Chaignet : « Cicéron, dont les vues sur l'art « oratoire n'ont jamais pris la forme réellement didactique, et qui « se rattache par ses principes un peu flottants à Platon et à Aris- « tote » (*La rhétorique et son histoire,* p. 64).
5. Cf. Hirzel, *Untersuchungen zu Cicero's philosophischen Schriften;* Schmekel, *Die Philosophie der mittleren Stoa*, p. 18-46; Thiaucourt, *Essai sur les traités philosophiques de Cicéron et leurs sources grecques;* aliosque multos qui nuper de Ciceronis fontibus scripserunt, quos enumerare longum est.
6. Cf. Saltzmann, *Ueber Ciceros Kenntniss der platonischen Schriften,* t. I, p. 36-39; t. II, p. 1-10; Gloël, *Ueber Cicero's Studium des Plato,* p. 7-8; van Heusde, *M. Tullius Cicero* φιλοπλάτων p. 207-211.

In Gorgia ipsa ars dicendi ita extenuatur ut Cicero, qui eam minime repelleret, hunc librum plane probare non posset. Quod ipse aperte his Crassi verbis indicavit :

Sed ego neque illis assentiebar neque harum disputationum inventori et principi longe omnium in dicendo gravissimo et eloquentissimo Platoni, quoius tum Athenis cum Charmada diligentius legi Gorgiam ; quo in libro in hoc maxume admirabar Platonem, quod mihi in oratoribus irridendis ipse esse orator summus videbatur. De Or., 1, 11, 47.

Platoni igitur oratores et ipsam dicendi artem eloquentissime vituperanti Cicero non adsentitur ; neque id concedit quod in Gorgia Socrates dixerat, melius de architectura architectum, de medicina medicum quam oratorem posse dicere [1] ; sed verum perfectumque oratorem putat et rerum scientia et ipsa dicendi arte instructum esse debere [2].

Phaedro plus sane Cicero debuit quam Gorgiae. Nec mirum : in Phaedro enim iam non vituperatur ars ipsa dicendi, sed vera rhetorica adumbratur. Multa tamen, quae Cicero e Phaedro potuit haurire, apud Aristotelem [3] aliosve qui Platonem secuti erant [4] reperiebantur.

Oratori motus omnes animorum penitus esse pernoscendos Cicero saepe docuit.

Quis enim nescit maxime vim existere oratoris in hominum mentibus vel ad iram vel ad odium aut dolorem inci-

1. De Or., 1, 14, 61-63 ; 2, 9, 37-38. — Cf. Gorgias, p. 455, B-E.

2. Supra, p. 13-15.

3. Notum est Aristotelem in rhetorica ea perfecisse quae Plato in Phaedro (p. 271, A.-B.) explicanda indicasset. (Cf. Thompson, *The Phaedrus of Plato,* p. xx ; Zeller, *Die Philosophie der Griechen,* II², p. 754) ; Spengel, *Ueber die Rhetorik des Aristoteles, Abhandlungen der bayer. Akad. Phil. Classe VI,* 1852, p. 467, etc.). Non tamen in omnibus uterque consentit ; cf. Schmidt, *Quid Plato de arte rhetorica senserit,* p. 30, 31 ; Berger, *De rhetorica quid sit secundum Platonem,* p. 27.

4. Velut Charmadam (de Or., 1, 19, 87).

tandis, vel ab hisce iisdem permotionibus ad lenitatem misericordiamque revocandis ? Quae, nisi qui naturas hominum vimque omnem humanitatis causasque eas, quibus mentes aut incitantur aut reflectuntur, penitus perspexerit, dicendo quod volet perficere non poterit. De Or., 1, 12, 53.

Quaero enim... num admoveri possit oratio ad sensus animorum atque motus vel inflammandos vel etiam extinguendos, quod unum in oratore dominatur, sine diligentissuma pervestigatione earum omnium rationum, quae de naturis humani generis ac moribus a philosophis explicantur. De Or., 1, 14, 60; cf. 1, 5, 17; 1, 19, 87; Or., 4, 15.

Eadem fuerat Platonis in Phaedro [1] sententia; ideoque ab eo philosophia arti rhetoricae necessaria dicta erat [2].

Perfecto oratori ingenium, artem, exercitationem esse necessaria, primus [3], ut videtur, Plato in Phaedro [4] observavit, quod et multis aliis et Ciceroni placuit qui huius divisionis non modo in libris oratoriis meminit sed etiam in orationis pro Archia principio:

Si quid est in me *ingenii*, iudices, quod sentio quam sit exiguum, aut si qua *exercitatio* dicendi, in qua me non infitior mediocriter esse versatum, aut si huiusce rei *ratio* aliqua... Arch. 1, 1 [5].

Sed cum haec omnia Cicero non solum a Platone sed

1. Phaed., p. 271, A. Cf. Benoît, *Essai historique sur les premiers manuels d'invention oratoire jusqu'à Aristote*, p. 59-60.
2. Phaed., p. 261, A. Cf. Stallbaum, *Phaedrus, proleg.*, p. LXXXIV.
3. Cf. Spengel, *Isokrates und Platon, Abhandlungen der königlich bayerlichen Academie der Wissenschaften*, VII, 1855, p. 745.
4. P. 269, D.
5. Cf. : Atque in eo non solum *ingenium* elucere eius videbatis, quod saepe, etiam si industria non alitur, valet tamen ipsum suis viribus, sed inerat... *ratio* et *bonis artibus instituta et cura* et vigiliis elaborata. Cael, 19, 45. Sed haec quae sunt oratoris propria, quae mihi non propter *ingenium* meum sed propter hanc *exercitationem* usumque dicendi fructum aliquem ferre potuissent.... Cael, 22, 54. — Exercitationi fere omnia accepta refert cum se non « declamatorem » sed « laboris et fori discipulum » nominat (Planc., 34, 83). Sed haec coram indoctis iudicibus; exordium vero illud coram humanissimis habebatur.

etiam ab aliis permultis accipere potuisset, nesciremus eum vere Phaedro usum esse nisi ipse id aperte dixisset.

Nec latius atque copiosius de magnis variisque rebus sine philosophia potest quisquam dicere ; si quidem etiam in *Phaedro Platonis* hoc Periclen praestitisse ceteris dicit oratoribus Socrates, quod is Anaxagorae physici fuerit auditor ; a quo censet eum, cum alia praeclara quaedam et magnifica didicisset, uberem et fecundum fuisse, gnarumque, quod est eloquentiae maximum, *quibus orationis modis quaeque animorum partes pellerentur.* Or., 4, 15. Cf. Phaed., p. 269 E.

Haec tractasse Thrasymachum Calchedonium primum et Leontinum ferunt Gorgiam. Theodorum inde Byzantium multosque alios quos λογοδαιδάλους appellat in *Phaedro* Socrates. Or., 12, 39, cf. Phaed., p. 266, E.

Isocrates videtur testimonio Platonis aliorum iudicia debere contemnere. Est enim, ut scis, quasi in extrema pagina *Phaedri* his ipsis verbis loquens Socrates : « Adulescens etiam nunc, o Phaedre, Isocrates est, sed quid de illo augurer lubet dicere. Quid tandem ? inquit ille. Maiore mihi ingenio videtur esse quam ut cum orationibus Lysiae comparetur, praeterea ad virtutem maior indoles ; ut minime mirum futurum sit, si, cum aetate processerit, aut in hoc orationum genere cui nunc studet tantum quantum pueris reliquis praestet omnibus qui unquam orationes attigerunt, aut, si contentus his non fuerit, divino aliquo animi motu maiora concupiscat ; inest enim natura philosophia in huius viri mente quaedam ». Haec de adulescente Socrates auguratur. At ea de seniore scribit Plato.... Or., 13, 41. Cf. Phaed., p. 278 E-279 B.

Cur non imitamur, Crasse, Socratem illum qui est in Phaedro Platonis ? Nam me haec tua platanus admonuit, quae non minus ad opacandum hunc locum patulis est diffusa ramis quam illa cuius umbram secutus est Socrates... De Or., 1, 7, 28 ; cf. Leg., 2, 3, 6 ; Phaed., p. 229-230.

Praeter Gorgiam et Phaedrum pauci sunt Platonis dialogi unde Cicero aliquid in operibus rhetoricis expresserit.

Politiam in libris de Oratore se imitatum esse Attico narravit :

Quod in iis libris quos laudas, personam desideras Scaevolae, non eam temere dimovi sed feci quod idem in πολιτείᾳ deus ille noster Plato. Cum in Piraeum Socrates venisset ad Cephalum, locupletem et festivum senem, quoad primus ille sermo habetur, adest in disputando senex, deinde, cum ipse quoque commodissime locutus esset, ad rem divinam dicit se velle discedere neque postea revertitur. Credo Platonem vix putasse satis consonum fore si hominem id aetatis in tam longo sermone diutius retinuisset. Multo ego magis hoc mihi cavendum putavi in Scaevola... Att. 4, 16, 3.

Propius ad Platonem accessit cum in Oratore perfectae eloquentiae speciem informare conatus est. Tum enim commemoravit esse rerum formas eximias quasdam et perfectas quae ratione et intellegentia continerentur, ad quarum similitudinem omnia referrentur. « Has », inquit, « rerum formas appellat ἰδέας ille non intelli- « gendi solum sed etiam dicendi gravissimus auctor et « magister Plato [1] ». Et re quidem vera, etiam si id ipse non indicasset, hanc doctrinam e Platonica philosophia haustam esse omnes agnoscerent, quam videtur Timaeo debuisse [2].

Non igitur multa quae ad artem dicendi pertinerent Cicero a Platone sumpsit, sed iis quae in Gorgia contra rhetoricam dicta erant abutitur ad perfecti oratoris imaginem exprimendam ; ex Phaedro assumit oratori philosophiam esse necessariam, motusque animorum pernoscendos, ingenium, exercitationem, artem esse coniungenda ; Phaedrum et Politiam in dialogi forma imitatur ; e Timaeo doctrinam de eximiis rerum speciebus formisque mutuatur.

1. Or., 3, 10.
2. Cf. Sandys, *Orator*, p. 11-12.

§ 2. — Quid Isocrati debuerit.

Sumpseritne Cicero aliquid ex Isocratis doctrina rhetorica, doctissimi quidam viri ne examinandum quidem putant [1] : aut enim nullam *artem* ab Isocrate unquam esse scriptam arbitrantur, aut non eam qua Cicero uti potuerit.

Fatendum quidem est Ciceronem, cum libros de Inventione scripsit, Isocratis artem nondum repperisse. Haec enim ait : « Fuit tempore eodem quo Aristoteles magnus et nobilis rhetor Isocrates; cuius ipsius quam constet (*al.* constat) esse *artem* [2] non invenimus [3] ». Quid vero de illo tempore quo in libris de Oratore « Aristoteliam et Isocrateam rationem oratoriam » [4] complecti voluit? Nonne Isocratis artem tunc legerat?

Diiudicari id nequit nisi breviter attingatur quaestio scripseritne umquam artem Isocrates. Affirmant doctissimi viri post L. Spengel, qui reliquias artis Isocrati ab antiquis tributae collegit, defendit, illustravit [5]. Has Baiter et Sauppe [6], deinde C. Müller [7] in corpus Attico-

1. « Isokrates kann als Quelle gar nicht in Betracht kommen; es gab zwar ein Handbuch der Rhetorik unter seinem Namen ; aber das war eines der gewöhnlichen Schulbücher von denen Cicero gerade nichts wissen will; auch scheint es erst von den strengen Atticisten nach Ciceros Zeit ausgegraben zu sein. » Kroll, *Cicero und die Rhetorik, Neue Jahrbücher für das klassische Alterthum,* VI, 1903, p. 684.

2. Ars, « *manuel* ». Cf. supra, p. 15, n. 1 ; *Thesaurus Linguae Latinae,* II, p. 671, 54-672, 2.

3. Inv., 2, 2, 7.

4. Fam., 1, 9, 23.

5. Συναγωγὴ τεχνῶν, *sive artium scriptores ab initiis usque ad editos Aristotelis de rhetorica libros,* p. 149-172.

6. *Oratores attici,* II, p. 224-227.

7. *Oratores attici,* II, p. 319-322. — Pauciores locos recepit Blass. Cf. *Isocratis orationes,* ed. Benseler-Blass, II, p. 275.

rum oratorum receperunt. At genuinas easdem esse alii docti viri negant [1], testimonia antiquorum de iis dubia esse contendunt, ipsas reliquias eas esse ut ab Isocrate minime scribi potuerint.

Ac primum quidem dicunt Isocratem qui artis scriptores irriserit, ipsum non potuisse artem conscribere.

Respondetur non omnes artis scriptores ab Isocrate irrideri [2]. Praeterea etiam si, cum esset iunior, artem sprevisset, potuisset postea, abiecta priore sententia [3], artes componere, quod cum Ciceronis testimonio mire congrueret : ait enim, auctore Aristotele : « Isocratem « primo artem dicendi esse negavisse, scribere autem « aliis solitum orationes, quibus in iudiciis uterentur ; « sed cum ex eo, quia quasi committeret contra legem « QUO QUIS IUDICIO CIRCUMVENIRETUR » saepe ipse in « iudicium vocaretur, orationes aliis destitisse scribere, « totumque se ad artes componendas transtulisse [4] ».

Additur non nulla in illa arte reperiri quae Isocrati

Sauppe Isocratis artem defendit, *Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft,* 1835, p. 410.

1. Pfund, *De Isocratis vita et scriptis*, p. 21-22 ; Κυπριανὸς, Τὰ ἀπορρητὰ τοῦ Ἰσοκράτους, p. 213-215 (qui melius ceteris de antiquorum testimoniis disputat) ; Rehdanz, *Göttingische Gelehrte Anzeigen,* 1872, p. 1201-1205 ; Thiele, *Das Lehrbuch des Isocrates, Hermes,* XXVII, 1892, p. 11-21 (accuratissime de reliquiis a Spengel collectis disserit) ; idem apud Susemihl, *Geschichte der griechischen Litteratur in der Alexandrinerzeit,* II, p. 480-481.

2. Isocr. Soph., 16. Cf. Sauppe, p. 410. Notandum est id quod A. Croiset animadvertit : « Suit-il de là qu'Isocrate, adversaire des anciennes τέχναι, n'ait pu à son tour en écrire une lui-même, comme on le dit quelquefois ? En aucune façon. Platon, qui blâmait aussi la parole écrite, a écrit toute sa vie, mais autrement que ceux dont il blâmait les discours. La τέχνη d'Isocrate, analysée par Aristote, différait évidemment beaucoup de celle des anciens sophistes (*Histoire de la littérature grecque,* IV, p. 502, n. 9).

3. Benoît, p. 64.

4. Brut., 12, 48 ; cf. 12, 46.

plane ignota fuerint nec ante Hermagorae tempus excogitata. Sec hoc certo probari nequit [1].

Difficilius respondetur iis quae obiciuntur de genere scribendi : fatendum est enim in quibusdam ex locis quos Spengel collegit et Isocrateos putavit, crebros vocalium concursus aliaque asperiora inveniri quae vix Isocrati tribui posse videantur. At non si quidam loci ex falsa arte excerpti sunt [2], concludendum est omnium eamdem fuisse originem, cum apud diversos diversae aetatis scriptores legantur. Potuit quoque ars illa non ab ipso Isocrate sed ab aliquo eius auditore conscribi, doctrinam magistri, non ipsa verba referente [3]. Certum quidem est eam artem cum rhetorica doctrina quae ex Isocratis orationibus eruitur optime congruere [4].

Non est ergo cur negetur Cicero quicquam ab Isocratis arte hausisse. Sed etiam si ars illa aut numquam ab Isocrate conscripta esset aut Ciceronis tempore iam non extitisset, poterat Cicero Isocrateam doctrinam ex illo libro depromere quo Aristoteles antiquorum rhetorum rationes collegerat. Hoc Cicero iam in libris de Inventione componendis usus erat [5]; huius etiam in libris de Oratore meminit [6]. Ex orationibus quoque Isocratis quaedam Cicero de eius doctrina rhetorica sumere poterat.

Et re quidem vera Ciceronis doctrina rhetorica cum Isocratea in quibusdam notatione dignis consentit.

1. Cf. Sheehan, *De fide artis rhetoricae Isocrati tributae*, p. 40-47.

2. Sheehan, p. 47.

3. Pfund, p. 22 : Blass, *Die attische Beredsamkeit*. II, p. 106-107 ; Christ, *Geschichte der griechischen Litteratur*, § 268 ; Navarre, *Essai sur la rhétorique grecque avant Aristote*, p. 189.

4. Sheehan, p. 36-40.

5. Inv., 2, 2, 6.

6. De Or., 2, 38, 160.

Isocrates artem suam philosophiam vocabat [1], neque id plane iniuria, cum de rebus non minus quam de vocibus ac de genere scribendi curaret [2], atque vulgaribus de iure contentionibus amplissimas de vita ac moribus disputationes longe praestare iudicaret [3]. Cum orationem contra sophistas edidisset, ita de eo Plato auguratus est ut eum praediceret ceteris omnibus praestiturum, et inesse in eius mente aliquam philosophiam existimaret [4]. Postea quidem inter se dissentire coeperunt neque videntur tales viri diu concordes manere potuisse [5]. Non tamen in quo dissenserint Cicero considerat sed in quo consenserint, cumque philosophiam oratori pernecessariam esse censeret, non minus Isocratis quam Platonis auctoritate niti posse sibi videbatur. Neque ab Isocratea ratione alienum erat quod finitis quaestionibus infinitas sine tempore et loco praestare dicebat.

1. Notissimum id multisque perspectum nuper maxime illustratum est cum plurimos Isocratis locos collegit Παντάζης, ἡ Ἰσοκράτειος ῥητορική, p. 7-8, 9-10.

2. Croiset, IV, p. 503-504.

3. E. Havet, *Introduction à la traduction de l'Antidosis par Cartelier*, p. XXIII-XXIV ; Benoît, p. 63. — Immo Isocrates ab antiquis aliquando philosophus habitus est ; cf. Sudhaus, *Rheinisches Museum*, N. F. XLVIII, 1893, p. 561.

4. Phaed., p. 279 A.

5. Croiset, IV, p. 504. Id saltem veri similius arbitror. Quamquam de Isocratis cum Platone simultatibus variae sunt doctorum hominum sententiae, cf. Stallbaum, *Phaedrus, prolegomena*, p. 116-121 ; Spengel, *Isokrates und Platon, Abhandlungen der bayerlichen Akademie der Wissenschaften*, VII, 1855, p. 729-769; *Isokrates und Platon, Philologus*, XIX, 1863, p. 593-598 ; Holtzner, *Platos Phaedrus und die Sophistenrede des Isokrates;* Bakius, *Scholica Hypomnemata*, III, p. 27-47 ; Strowski, *De Isocratis paedagogia*, p. 36-37, 50-53 ; Gercke, *Hermes XXXII*, 1897, p. 341-381 ; Susemihl, *Neue platonische Forschungen*, p. 24-43 ; Huit, *La vie et l'œuvre de Platon*, I, p. 303-316 (= *Revue des Etudes grecques*, I (1888), p. 49-60) ; Παντάζης, II, p. 34-36 ; Hagen, *Num simultas intercesserit Isocrati cum Platone ;* Raeder, *Platons philosophische Entwickelung*, p. 123-124, 137-145, 268-278, etc.

Quod Plato primus contra sophistas enuntiarat, artem sine ingenio et doctrina non sufficere, id Isocrates apertius illustraverat [1]. In hoc Cicero cum utroque consentit. Quod ad ipsam artem attinet, de inventione et dispositione quae Isocrates docuit non multum videntur differre a ceteris rhetoribus. Sed de elocutione plura et meliora protulit. Ipse enim dicendi egregius artifex cum esset, in dicendi genus subtilius inquisivit, eaque docuit quae neque superiores noverant nec posteriores diu retinuerunt. Haec Ciceronis tempore neglegebantur ; de his in tertio de Oratore dicitur « non traduntur in volgari ista « disciplina » [2], haec ad « Antiquorum et Aristoteliam et « Isocrateam rationem oratoriam » pertinent. Maxime vero Isocratea sunt quae Tullius de *numero* scripsit, quamquam non omnia praecepta quae de ea re tradidit ex Isocrate solo hausit.

Nimium quidem Isocrati tribuit cum eum primum omnium orationem numeris adstrinxisse dixit [3] ; in hoc se errasse ipse fassus est [4] ; minime vero errabat cum hanc Isocratis regulam proponebat : « etiam in soluta « oratione, dum versum effugeres, modum tamen et « numerum quemdam oportere servari » [5]. Id enim si non primus Isocrates, certe melius ceteris intellexit ac perspicue docuit [6]. Idem Cicero saepe expressit [7] Isocratem simul et Aristotelem secutus.

Non igitur negari potest inesse in Ciceronis libris ali-

1. Soph., 14 ; Antid., 187-192 ; cf. Navarre, p. 187-188.
2. De Or., 3, 49, 188.
3. De Or., 3, 44, 173 ; Brut., 8, 32-33.
4. Or., 52, 174-176.
5. Brut., 8, 32.
6. Sheehan, p. 8, 33 ; Norden, p. 53, 117.
7. De Or., 3, 44, 173-175 ; Or., 56, 187 ; 57, 195-196 ; 58, 198. De his in altera thesi disputavi ; *Etude sur le style des discours de Cicéron* (Paris, Hachette, 1907), l. II, ch. I, § 2.

quid Isocrateum. Quod si fortasse non « omnem » Isocrateam rationem oratoriam complexus est, tamen cum Isocrate consentit cum artem dicendi ad philosophiam revocat, cum artem sine ingenio et exercitatione sufficere negat, cum de numeris orationis solutae disserit. Haec sane non ad verbum ex Isocrateo libro exscripsit, sed numquam dixit se Isocratis *librum* in latinum sermonem convertisse ; *rationem* tantum, id est modum quemdam et formam artis oratoriae complecti voluit.

§ 3. — Quid Isocratis discipulis debuerit.

Ex Isocratis discipulis permulti de rhetorica scripserunt [1] quos Cicero in libris de Inventione magnopere laudat.

Alii quoque, alio ex fonte praeceptores dicendi emanaverunt, qui item *permultum ad dicendum* si quid ars proficit *opitulati sunt.* Nam fuit tempore eodem quo Aristoteles magnus et nobilis rhetor Isocrates... *Discipulorum* autem atque eorum qui protinus ab hac sunt disciplina profecti, *multa de arte praecepta reperimus.* Inv., 2, 2, 7-8.

Quid ab eis tum sumpserit plane incertum est. Postea certe eorum vel libris usus est vel saltem rationem oratoriam aliquo modo cognovit : cum enim de numeris orationis solutae disputavit, tum de Naucrate, Ephoro, Theodecte [2] eorumque placitis mentionem fecit.

1. Cf. Sanneg, *De Schola Isocratea,* p. 29-38.
2. Theodectes videtur et Isocratis et Aristotelis discipulus fuisse. Cf. Suidae Lexicon, s. v. Θεοδέκτης; Hagen, *Num simultas...* p. 50-53. — De Theodectis rhetorica, difficillimae quaestiones ortae sunt, de quibus vide : Rose, *Aristoteles pseudepigraphus,* p. 135-145 ; Heitz, *Die verlorenen Schriften des Aristoteles,* p. 85-87 ; Bake, *Scholica Hypomnemata,* III, p. 85-86 ; Diels, *Abhandlungen der Akad. der Wissen. zu Berlin,* 1886, IV, p. 9-16 ; Blass, *Attische Beredsamkeit,* II, p. 443-444 ; Wendland, *Hermes* XXXIX, 1904, p. 513-527 (= *Anaximenes von Lampsakos,* p. 35-48).

Ne doctissimorum quidem virorum eos movebit auctoritas? Omitto Isocraten discipulosque eius *Ephorum* et *Naucraten*, quamquam orationis faciendae et ornandae auctores locupletissimi summi ipsi oratores esse debebant... *Theodectes*... hoc idem sentit et praecipit. Or., 51, 172.

Est quidem (paean), ut inter omnis constat antiquos, Aristotelem, Theophrastum, *Theodecten, Ephorum*, unus aptissimus orationi vel orienti vel mediae. Or., 64, 218.

Ephorus autem, levis ipse orator et profectus ex optima disciplina, paeana sequitur aut dactylum, fugit autem spondeum et trochaeum. Or., 57, 191.

Sed et illi priores errant et *Ephorus* in culpa est. Or., 57, 192.

Ephorus vero ne spondeum quidem, quem fugit, intelligit esse aequalem dactylo quem probat. Or., 57, 194.

Princeps Isocrates instituisse fertur, ut inconditam antiquorum dicendi consuetudinem delectationis atque aurium causa, *quem ad modum scribit discipulus eius Naucrates,* numeris adstringeret. De Or., 3, 44, 173; cf. Or., 52, 174-176.

Atque haec... eadem a Theophrasto *Theodecteque* de paeane dicuntur. Or., 57, 194.

De numeris orationis solutae, multa praecepta a Cicerone, nullo auctore laudato, proferuntur; quaedam ex iis praeceptis ex Isocratea schola profecta esse valde verisimile est; quae tamen illa sint certo sciri nequit [1].

§ 4. — Quid Aristoteli debuerit.

Aristotelis opera rhetorica duo, Ciceronis tempore, exstabant, quorum alterum quod συναγωγὴ τεχνῶν inscriptum erat, superiorum omnium artes complectebatur,

1. Vir doctissimus C. Hammer censet (*Demetrius*, περὶ ἑρμηνείας p. 45, n. 1) ad Isocrateos referendum esse hoc praeceptum : « aut paria esse debent posteriora superioribus et extrema primis aut quod etiamst melius et iucundius, longiora. » De Or., 3, 48, 186. Quod mihi potius peripateticum videtur. Addit enim Cicero : « Atque haec quidem ab his *philosophis,* quos tu maxime diligis, Catule, dicta sunt. De Or., 3, 49, 187. Cf. de Or., 3, 47, 182 : « Aristoteles, Catule, vester ».

alterum ipsius Aristotelis rhetoricam continebat. Utrumque Cicero noverat. Topica quoque, quae non quidem inter rhetoricos libros numerabantur, sed cum arte dicendi quasi cognatione quadam coniuncta erant, in bibliotheca sua habebat.

Veteres quidem scriptores artis, usque a principe illo atque inventore Tisia repetitos, unum in locum conduxit Aristoteles et nominatim cuiusque praecepta magna conquisita cura perspicue conscripsit atque enodata diligenter exposuit. Inv., 2, 2, 6.

Aristotelem, cuius et illum legi librum, in quo exposuit dicendi artis omnium superiorum, et illos, in quibus ipse sua quaedam de eadem arte dixit. De Or., 2, 38, 160.

Cum enim mecum in Tusculano esses et in bibliotheca separatim uterque nostrum ad suum studium libellos quos vellet evolveret, incidisti in Aristotelis Topica quaedam, quae sunt ab illo pluribus libris explicata. Qua inscriptione commotus, continuo a me librorum eorum sententiam requisisti; quam cum tibi exposuissem... Top., 1, 1-2.

Quid vero ex iis libris Cicero expressit ? Celebris iamdiu controversia est lectitaritne Aristotelis de philosophia libros, eosne intellexerit, iisne usus sit [1]. Profecto etiam si demonstratum esset eum ab illis nihil didicisse non tamen idem de libris rhetoricis necessario concludendum esset. De iis tantum nobis agendum est.

Ac primum si quis totam Aristotelis de arte dicendi doctrinam eaque innumera quae de ipsa oratione, de argumentorum locis, de hominum moribus acutissime observavit, apud Ciceronem quaerit, is sane paucissima reperit. Collecti sunt a doctis viris [2] ii Ciceronis loci

1. Cf. Baumhauer, *De Aristotelia vi in Ciceronis scriptis* ; Stahr, *Aristoteles bei den Römern*, p. 43-52 ; Heitz, *Die verlorenen Schriften des Aristoteles*, p. 184-187, 228-229; Madvig, *de Finibus*, p. 496, 837-848.

2. Cf. adnotationes eorum qui libros Ciceronis rhetoricos ediderunt, v. g. Piderit. Commode locos contraxit Jentsch, *Aristotelis ex arte rhetorica quaeritur quid habeat Cicero*. Subtilius eam

qui cum Aristotelis dictis similitudinem aliquam prae se ferunt; ex iis ipsis multi potuerunt non ex ipsius Aristotelis libris hauriri sed ex libris rhetorum qui aliqua ab eo mutuati erant. Non in omnibus sequitur Aristotelem Cicero [1]; immo si quando eius vestigiis insistere videtur eumque auctorem saepius appellat, tum invenitur eius doctrinam non semper intellexisse [2]; velut cum de numeris pedibusque disserit, ne intellegit quidem quid apud Aristotelem vox *trochaei* [3] significet. Itaque singula praecepta persequenti videtur Cicero ab Aristotelea doctrina prope alienus.

At non singula praecepta se ex Aristotele sumere dicit; « *rationem* » aliquam oratoriam ut ab Isocrate sic quoque ab Aristotele mutuari voluit, proprioque ac suo modo ea quae apud Aristotelem commemoratione digniora invenerat proponere.

Nam cum artem dicendi philosophia niti volebat, in hoc cum Aristotele consentiebat; itaque etiam eius auctoritate utitur ut dialecticam oratoribus necessariam esse demonstret.

Aristoteles principio artis rhetoricae dicit illam artem quasi ex altera parte respondere dialecticae, ut hoc videlicet

comparationem idem scriptor persecutus est in duabus commentationibus quae inscribuntur : *De Aristotele Ciceronis in rhetorica auctore*. Nihil vero profecit Angermann cum nuper eam quaestionem attigit (*De Aristotele rhetorum auctore*, p. 1-11).

1. Cf. Bontoux, *Aristotelis et Ciceronis principia rhetorica inter se comparata*, p. 37, 38, 43.

2. Praesertim in libris de Inventione ; cf. Bader, *De Ciceronis rhetoricorum libris*, p. 2-5 ; de ceteris cf. Thurot, *Etudes sur Aristote*, p. 260-276.

3. Τροχαῖον id est choreum, e longa et brevi (¯ ˘) de quo Aristoteles in Rhetorica (3, 8, 4) scripsit, putat Cicero e tribus brevibus esse (˘ ˘ ˘) quem errorem notaverunt Jahn et Sandys. Ne de paeane quidem Cicero Aristotelis, quem auctorem appellat (Or., 64, 218), mentem assecutus est. Cf. Spengel, *Aristotelis ars rhetorica*, II, p. 388 ; Cope-Sandys, *The Rhetoric of Aristotle*, III, p. 83 ; Fritzschius, *De numeris orationis solutae*, p. 13-14.

differant inter se, quod haec ratio dicendi latior sit, illa loquendi contractior. Volo igitur huic summo omnem quae ad dicendum trahi possit loquendi rationem esse notam. Or., 32, 114.

Nec minus Aristotelea sunt quae tradit de motibus animorum oratori pernoscendis. In hac enim rhetoricae parte praeter ceteros elaboravit Aristoteles. Quamquam vero permulta ab eo notata Cicero neglexit, tamen generalem quamdam de motibus animorum doctrinam exposuit. Ea enim quae ad conciliandos permovendosque animos pertinebant, quae plerumque a scriptoribus artis omittebantur [1], ipse, ut quondam Aristoteles [2], explicavit [3].

Inveniendi praecepta quae Ciceronis tempore tradebantur ad singula causarum genera referebantur. Quam rationem, ab Hermagora vel excogitatam vel expolitam, Cicero, in libris de Inventione secutus, postea deseruit maluitque alia inveniendorum argumentorum ratione uti quae non ad singulas causas sed ad omnia disputationum genera esset accommodata. Hanc Aristoteleam dicebat, non quo singula quae ipse in ea traderet ab Aristotele sumpta essent, sed quia Aristoteles locos posuerat ex quibus *omnium* rerum argumenta sumerentur [4]. Quae

1. « In iis ipsis rebus permulta sunt, quae *ipsi magistri, qui rhetorici vocantur, nec tradunt, nec tenent.* Quis enim nescit maxime vim existere oratoris in hominum *mentibus* vel ad iram vel ad odium aut dolorem *incitandis,* vel ab hisce iisdem permotionibus ad lenitatem misericordiamque revocandis ?... *Quibus de rebus Aristotelem et Theophrastum scripsisse fateor.* » De Or., 1, 12, 52-13, 55. « His duabus partibus orationis quarum altera *commendationem* habet, altera *concitationem, quae minime praeceptis artium sunt perpolitae.* » De Or., 2, 49, 201.

2. Arist. Rhet., 2, 1-17.

3. De Or., 2, 42, 178-53, 216.

4. De Or., 2, 36, 152 ; cf. 2, 27, 117 ; Or., 14, 46 (infra, p. 36); cf. Arist. Rhet. 2, 18-26 ; Cope, *Introduction to Aristotle's Rhetoric,* p. 51-52.

vero de « sedibus et quasi domiciliis *omnium* argumentorum [1] » in secundo de Oratore breviter expresserat, eadem fusius in « Topicis Aristoteleis [2] » explicavit; qui quidem liber valde pauca continet ex Aristotelis Topicis, nec multo plura ex eiusdem Rhetorica sumpta [3], non tamen falso « Aristoteleus » vocatur, cum ad Peripateticam rationem accedat et ab Hermagorea, quae illis temporibus quasi regnum tenebat, maxime differat.

Faciles causas de finitis quaestionibus adulescentulis a rhetoribus proponi solitas Cicero leviter aspernatur [4]: disputationes vero de infinitis quaestionibus quae θέσεις a Graecis vocabantur, ut ante diximus [5], utilissimas iudicat. Hanc exercitationem quam tanti faciebat Aristoteleam esse praedicabat: « Haec igitur quaestio inquit « a propriis personis et temporibus ad universi generis « orationem traducta appellatur θέσις. In hac *Aristo-* « *teles* adulescentis, non ad philosophorum morem te- « nuiter disserendi, sed ad copiam rhetorum in utramque « partem ut ornatius et uberius dici possit exercuit [6] ». Immo in libris de Oratore Crassus ita auguratur: « Sin aliquis extiterit aliquando, qui *Aristotelio* more de omnibus rebus in utramque partem possit dicere... is sit

1. De Or., 2, 39, 162.

2. « Ut primum Velia navigare coepi, institui Topica Aristotelea conscribere ». Fam., 7, 19.

3. Ea diligenter collegit C. Hammer, *Commentatio de Ciceronis Topicis*. Disputaverant antea de eadem re: Brandis, *Einige Bemerkungen über Ciceros Academica und Topica*, Rheinisches Museum, III, 1829, p. 542-554, praesertim, p. 547-554; Klein, *De fontibus Topicorum Ciceronis*, p. 25-59; Wallies, *De fontibus Topicorum Ciceronis*; Thurot, *Etude sur Aristote*, p. 266-267; Thionville, *De la théorie des lieux communs dans la rhétorique d'Aristote*, p. 93-102. Cf. infra, cap. IV, § 2.

4. De Or., 2, 27, 117; 2, 30, 130, supra, p. 16.

5. Supra, p. 15.

6. Or., 14, 46; cf. Diog. Laert., 5, 1, 3; Theo, *Rhet. gr.* ed. Spengel, II, p. 69, 2.

verus, is perfectus, is solus orator [1] ». Quis ille fuerit nemo est qui non intellegat.

In libris de Oratore [2] communiores quoque vult esse regulas quae ad partes orationum pertinent quam quae a scriptoribus artis tradebantur : neque enim in solis principiis curandum esse ut iudex attentus docilisque fiat [3], neque solas narrationes breves apertasque esse debere [4]. Idem senserat Aristoteles [5].

Facetias cum plurimum in oratione valere Cicero animadvertisset, eas ita tractavit ut quasi partem artis rhetoricae in eis constitueret [6]. Quae vero de iocando tradit, quamquam non omnia ad Aristotelem referenda sunt, tamen peripateticam doctrinam continent, divisionemque ab ipso Aristotele usurpatam : « Duo sunt... « genera facetiarum, quorum alterum re tractatur, alte- « rum dicto [7] ».

In elocutione denique Aristotelem secutus est. Aristotelea enim est ea sententia quae Isocrati quoque placuerat, orationem numeris astrictam esse debere, carere versibus [8]. Cum vero de numeris orationis solutae

1. De Or., 3, 21, 80.
2. Non item in ceteris scriptis. Cf. infra, p. 97-99.
3. De Or., 2, 79, 323.
4. De Or., 2, 80, 326, 329.
5. Arist. Rhet. 3, 14, 9 ; 3, 16, 4.
6. De Or., 2, 54, 216-71, 290 ; Or., 26, 87-90.
7. De Or., 2, 59, 239. Aristoteles in rhetorica (3, 18, 7) paucissima de iocis scribit, sed eius doctrina exhibetur in scholiis veteribus quae primum edidit Cramer (*Anecdota graeca*, I, p. 403-404). De quibus, cf. Bernays, *Rheinisches Museum*, N. F., VIII, 1853, p. 560-596 ; Consbruch, *Zu den Traktaten* περὶ κωμῳδίας, *Commentationes in honorem G. Studemund*, p. 211-236 ; Kaibel, *Die Prolegomena* περὶ κωμῳδίας, *Abhandlungen der kön. Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen; Phil. hist. Klasse*, N. F., II, nº 4 ; Ardnt, *De ridiculi doctrina rhetorica*, p. 8-15.
8. « Is (Aristoteles) versum in oratione vetat esse, numerum iubet. » Or., 51, 172 ; cf. Arist. Rhet., 3, 8, 1, 2.

Cicero plura scribat quam quisquam superiorum [1], non unum auctorem sequitur, Aristotelis tamen praecepta saepius commemorat eisque etiam utitur ubi ipsum non nominat [2].

Ex his intellegitur quid Cicero significare voluerit cum scripsit se Isocrateam et Aristoteleam rationem oratoriam libris de Oratore complecti voluisse. Mirum id quidem videri potest cum a lenissimo Isocratis ingenio acutissimum Aristotelis maxime distare manifestum sit. Itaque viro cuidam doctissimo Ciceronis propositum maxime absurdum visum est [3]. Sed non in omnibus ab

1. Or., 67, 226. Cf. Amsel, *De vi atque indole rhythmorum,* p. 5-6.

2. De ea re locos Tullianos Aristoteleis similes contulerunt Jentsch, *Aristotelis ex arte rhetorica...* p. 36-38 ; Bornecque, *Quid de structura rhetorica praeceperint grammatici atque rhetores latini,* p. 58-61.

3. « Cicero ist in der That entweder so unwissend oder so frivol « leichtfertig dass er sich einbildet, der bodenlose Schwätzer habe « in seinen drei Büchern de Oratore die Rhetorik des Aristoteles « und jene des Isokrates (allbekanntlich besteht der principiellste « Gegensatz zwischen beiden), zusammen umfasst ». (Prantl, *Geschichte der Logik,* I, p. 512). Longe rectius iudicarat Brückner : « Nec Cicero tamen, etiam si non omnem referre potuit et Isocratis « et Aristotelis rationem, ita mentitus esse censendus est in epis- « tola illa ad Lentulum scripta, quin vel in argumento librorum « de Oratore vel in via et ratione qua singula quaeque descripta « sunt, nonnulla deprehendantur quae vel ad Aristotelis vel ad « Isocratis similitudinem quamdam accederent » (*Disputatio qua Cicero in libris de Oratore scribendis quid ex Isocrate et Aristotele mutuatus sit ad expl. epist. ad fam., 1, 9, 23, examinatur,* p. 5-6). Quamquam ipse Brückner non in omnibus mihi videtur verum assecutus. Putat enim Ciceronem ad Isocratem et Aristotelem accessisse quod non solum de iudiciali genere praecepta dedisset sed de deliberativo et demonstrativo. At de suasionibus laudationibusque scriptores artis praecepta dabant (ad Her., 1, 2, 2 ; 3, 1, 1-8, 15 ; cf. Inv., 2, 51, 155-59, 178), et ea quidem plura quam quae a Cicerone in libris de Oratore (2, 81, 332-85, 349) breviter tradita sunt. Nonnulla quoque quae magni momenti erant Brückner omisit : de quaestionibus infinitis, de topicis, de facetiis, de numerosa oratione.

Isocrate Aristoteles dissentiebat; quae utrique communia essent Cicero animadverterat : artem dicendi ad philosophiam pertinere, communes quaestiones finitis anteponendas esse, numerum non versum in oratione esse servandum. Haec Isocratea simul et Aristotelea a plerisque suorum aequalium neglegi dolebat; haec rursus in honorem adducere voluit.

§ 5. — Quid veteribus Peripateticis debuerit.

Aristotelis discipuli « permulta praecepta dicendi reliquerunt [1] ». Pauci tamen ex iis a Cicerone nominantur. Nam praeter Hieronymum, quem sat malitiose versus ex Isocratis libris collegisse narrat [2], unus fere [3] Theophrastus ab eo laudatur. Sed is quidem saepe. Eius enim scripta Cicero assidue legerat [4], eum « amicum suum [5] » vocabat, de eo dicebat : « Quid ? Theophrastus mediocriterne delectat cum tractat locos ab Aristotele ante tractatos ? » [6]. Quamquam tamen eius libris *περὶ λέξεως* [7] usus est [8], non multa videtur ibi repperisse quae non essent iam ab Aristolele dicta [9].

De naturis hominum motibusque animorum oratori perspiciendis, ut Aristotelem sic quoque Theophrastum

1. Inv., 2, 2, 7.
2. Or., 56. 190.
3. De Theodecte, qui non solum Aristotelis sed etiam Isocratis discipulus fuerat, supra dictum est.
4. Cf. Tyrrell, I[3], p. 295, ibique notatis adde Plut., Cic., 24, 2.
5. « Cum Theophrasto amico meo ». Att., 2, 16, 3.
6. Fin, 1, 2, 6.
7. De his libris pauca admodum scimus, quae tamen illustrare conatus est H. Rabe, *De Theophrasti libris* περὶ λέξεως. Melius antea Schmidt (*Commentatio de Theophrasto rhetore*).
8. Fin., 1, 2, 2.
9: Cf. Sandys, *A history of classical Scholarship from the sixth century b. C. to the end of the middle ages*, p. 99.

scripsisse memorat [1]. Communes disputationes de infinitis quaestionibus Theophrastus, magistrum suum secutus, utilissimas iudicabat, quippe qui volumina scripserit quae θέσεις inscribebantur [2]. Denique ipse quoque censebat in oratione numerum non versum inesse oportere; quare in tertio de Oratore Crassus haec ait: « Ego illud assentior Theophrasto, qui putat orationem, quae quidem sit polita atque facta quodam modo, non astricte sed remissius numerosam esse oportere [3] ». Neque eam solum quasi generalem regulam tradiderat Theophrastus sed « accuratius » de his rebus scripserat [4]. Itaque eius iudicium de paeane Cicero commemorat cum de pedibus in oratione usurpandis disputat [5].

Sed haec iam apud Aristotelem reperiebantur. Alia quaedam sunt ipsius Theophrasti quasi propria. Ipse enim divisionem illam trium dicendi generum quae postea tam celebris evasit, quamque Cicero in Oratore [6] excoluit, primus videtur proposuisse [7]. Ipsius quoque est altera divisio quattuor virtutum orationi necessariarum, quam divisionem et alii multi et in libris de Oratore Cicero adhibuit, Latine, plane, apte, ornate [8]

1. De Or., 1, 13, 55 ; cf. 1, 12, 53-54.
2. Theo., *Rhet. gr.* ed Spengel, II, p. 69, 3.
3. De Or., 3, 48, 184.
4. Or., 51, 172.
5. Or., 64, 218.
6. Or., 23, 75-28, 99.
7. Dionys. Halic., De Dem., 3 (ed. Usener-Radermacher, I, p. 132, 6). Cf. Causeret, *Etude sur la langue de la rhétorique et de la critique littéraire dans Cicéron*, p. 150; Ammon, *De Dionysii Halicarnassensis librorum rhetoricorum fontibus*, p. 56; Radermacher, *Rheinisches Museum*, LIV, 1899, p. 374-380 ; Volkmann-Hammer, p. 54 ; Roberts, *Demetrius*, p. 16 et 24, etc. Id tamen negat Hendrickson (*American Journal of Philology*, XXV, 1904, p. 125-156, maxime p. 126, 139 ; XXVI, 1905, p. 249-290) rationibus nixus neque spernendis nec rursus plane certis.
8. De Or., 3, 10, 37.

esse dicendum. Haec enim in Oratore legimus : « Sermo « purus erit et Latinus ; dilucide planeque dicetur, quid « deceat circumspicietur ; unum aberit [1] *quod quartum « numerat Theophrastus* in orationis laudibus : orna- « tum illud, suave et affluens [2] ». Denique a Theophrasto sumptum est illud : « Verecunda esse debet tralatio [3] » ; quod ex epistula quadam Ciceronis manifestum est ; « Et « doctrina, et domus, et ars, et ager etiam fidelis dici « potest, ut sit, quo modo Theophrasto placet, verecunda « tralatio [4] ».

Quod si quis colligere velit quid « antiquis » Cicero debuerit, singula quidem praecepta cui tribuenda sint plerumque reperire non poterit, quamquam certum est quaedam ex iis antiquorum fuisse. Sed quod in minoribus praeceptis definiri nequit, id de communi ratione oratoria non est dubium. Libros Ciceronis de Oratore et Oratorem ab artibus quae eodem tempore vulgatae erant plurimum differre nemo ignorat. Propterea autem discrepabant quia ea quae quondam Plato, Isocrates, Aristoteles, eorumque discipuli protulerant, quae ab artis scriptoribus neglegebantur, Cicero rursus in lucem honoremque proferre cupiebat. Cum Platone et Isocrate censet ingenium maxime necessarium esse, exercitationem adiungendam ; artem vero solam ad efficiendum oratorem minime sufficere ; cum Platone, Isocrate, Aris-

1. Agitur de tenui genere dicendi.
2. Or., 23-24, 79.
3. De Or., 3, 41, 165 ; cf. Or., 24, 81 ; Opt. gen., 2, 4.
4. Fam., 16, 17, 1. Quem locum Sorof solus ex editoribus tertii de Oratore libri videtur nosse. Sed neque ipse, neque Piderit-Harnecker, neque Wilkins, neque Cima simile de Theophrasto testimonium commemoravit quod exstat in libro περὶ ὕψους. 32, 3. Tulliani vero loci diligentissimum virum Johannem Vahlen latuerunt, cum, libellum περὶ ὕψους tertium edens, Quintiliani sententiam (8, 3,37) minus sane cognatam solam protulit.

totele, eloquentiam philosophia niti debere ; cum Platone, Aristotele, Theophrasto, motus animorum oratori esse pernoscendos ; cum Isocrate, Aristotele, Theophrasto communes quaestiones universi generis esse tractandas, orationem non astricte sed remissius numerosam esse oportere.

Itaque recte Cicero scribere poterat : « Ego me saepe « nova videri dicere intellego, cum pervetera dicam [1] ».

1. Or., 3, 12.

CAPUT III

Quid recentioribus Cicero debuerit

Nemo ita est antiquorum studiosus ut aequales suos penitus ignoret, nec quisquam se ita in antiquitatem abdit ut sui saeculi vocem non audiat. Id in Cicerone animadvertere licet. Qui, cum veterum doctrinam rursus in honorem adducere cuperet, plura tamen ex iis quae in scholis primo ante Christum saeculo docebantur disputabanturve quam ex libris Platonis, Isocratis, Aristotelis, Theophrasti, quos semper in ore habebat, in scribendis suis rhetoricis operibus videtur hausisse [1].

§ 1. — Quid Hermagorae debuerit.

Pervulgata erat Ciceronis tempore Hermagorea doctrina ; nec dubium est quin ab ea plurimum sumpserit cum libros de Inventione conscripsit. Non quo Hermagoram in omnibus secutus sit. Eum enim acriter interdum impugnavit [2] ; sed de plerisque dicere licet cum

1. Id non agnovit van Veyssem (*De M. Tullii Ciceronis de Oratore libris*, p. 67-112) sed eius commenta refutatione non indigere ex hac sententiola cuivis satis patebit : « Omissa igitur quaestione « quae forte in libris de Oratore aut Hermogeni(!) aut Hermagorae « aut Paeoenio (*sic*) debeantur, quorum opera, vetustate deperdita, « tantummodo ex ipsius Ciceronis libris restitui possunt (!)... » (*Ibid.*, p. 71).

2. Inv., 1, 6, 8 ; 1, 9, 12-10, 13 ; lenius : 1, 51, 97.

Quintiliano : « In Rhetoricis Hermagoran est secutus » [1]. Reperitur enim in libris de Inventione ea constitutionum divisio quae Hermagorae propria erat. Nam quattuor constitutiones distinguuntur : coniecturalis, definitiva, generalis (« cum qualis res sit quaeritur »), translativa [2]; quae cum Hermagoreis optime congruunt [3]. A constitutionibus, Hermagoram secutus, segregat quaestiones legales quae in scripto versantur [4]; ex quinque legalibus quaestionibus quas enumerat, quattuor certe Hermagoreas esse Quintilianus testatur :

> Quare primum genus de scripto et sententia, secundum ex contrariis legibus, tertium ambiguum, quartum ratiocinativum, quintum definitivum nominamus. Inv., 1, 13, 17.
>
> Nos ad Hermagoran... Legales autem quaestiones has fecit : scripti et voluntatis (quam ipse vocat κατὰ ῥητὸν καὶ ὑπεξαίρεσιν, id est dictum et exceptionem, quorum prius ei cum omnibus commune est, exceptionis nomen minus usitatum) ratiocinativum, ambiguitatis, legum contrariarum. Quintil., 3, 6, 61. Cf. August., Rhet. lat. min., p. 143, 18-24.

Disciplina haec de constitutionibus et quaestionibus legalibus maximam partem ab Hermagora erat profecta ; non tamen ad eum ita referenda sunt omnia quae de his rebus apud antiquos leguntur, ut illum totius doctrinae inventorem putemus. Censuit quidam vir doctissimus, G. Thiele, nihil de constitutionibus ante Hermagoram esse ab antiquis excogitatum, totam earum rationem ex unius viri mente et cogitatione erupisse [5]. Id si antiquitatis monumenta testarentur, difficile crederemus, cum omnes doctrinae paulatim perfici et

1. Quintil., 3, 11, 18.
2. Inv., 1, 8, 10.
3. Cf. Netzker, *Hermagoras, Cicero, Cornificius quid docuerint de statibus*, p. 25. Hermagoreae constitutiones sunt στοχασμός, ὅρος, ποιότης, μετάληψις.
4. Inv., 1, 13, 17, cf. 2, 40, 116 ; Thiele, *Hermagoras*, p. 79.
5. Thiele, *Hermagoras*, p. 177-180.

explicari soleant. Sed aliter loquuntur antiqui, quorum nemo totam rationem constitutionum ab Hermagora inventam esse dixit. Immo Quintilianus censet apud Atticos oratores et apud Aristotelem aliquid eius modi posse reperiri [1]. Quamquam igitur plurimum in ea re Cicero debuit Hermagorae, non tamen ex eo totam doctrinam sumpsit quam nemo ante protulisset, sed ab aliis iam tractatam, ab ipso maxime evolutam.

Praecipue vero Hermagorae acceptam refert quartam constitutionem quae translativa nominatur, inventoremque ab aliquibus reprehensum defendit :

> In quarta constitutione, quam translativam nominamus, eius constitutionis est controversia, cum aut quem aut quicum aut quomodo aut apud quos aut quo iure aut quo tempore agere oporteat quaeritur, aut omnino aliquid de commutatione aut infirmatione actionis agitur. Huius constitutionis Hermagoras inventor esse existimatur, non quo non usi sint ea veteres oratores saepe multi, sed quia non animadverterunt artis scriptores eam superiores nec rettulerunt in numerum constitutionum. Post autem ab hoc inventam multi reprehenderunt, quos non tam imprudentia falli putamus — res enim perspicua est — quam invidia atque obtrectatione quadam impediri. Inv., 1, 11, 16.

Non tantum in definiendis constitutionibus Hermagoras elaboraverat, sed singulis causarum generibus argumenta subtilissime comparaverat [2]. Eum Cicero in libris de Inventione secutus est. « Nunc, inquit, certos confir« mandi et reprehendendi in singula causarum genera « locos tradendos arbitramur » [3]. Hos vero locos ita explicat ut « mille argumentorum gradus » [4] quos in

1. Quintil, 3, 6, 3 ; 3, 6, 60; cf. Navarre, p. 261-271; Jaeneke, *De statuum doctrina ab Hermogene tradita*, p. 15-26.
2. Brut., 76, 263; 78, 271 ; de Or., 2, 27, 117; cf. Thiele, *Hermagoras*, p. 84-86.
3. Inv., 2, 3, 11.
4. Dial. Or., 19.

Hermagora Tacitus reprehendit videatur suos facere voluisse.

De dispositione variisque orationis partibus Hermagoras praecepta dederat ; sed eorum pleraque nobis ignota sunt. Ciceronem tamen iis usum esse ex paucissimis illis reliquiis quae ad nos pervenerunt certum est. Hermagoras enim exordia secundum quattuor genera causarum [1] diviserat, honestum (ἔνδοξον), admirabile [2] (παράδοξον), humile (ἄδοξον), anceps (ἀμφίδοξον). Eadem divisione utitur Cicero ; quintum tamen genus addit : « obscurum » [3]. In praeceptis quae ad ceteras orationis partes pertinent, quid ab Hermagora sumptum sit plane incertum est.

In libris de Inventione sat multa Hermagorea esse recte concludi potest. Quid vero de operibus quae Cicero postea scripsit ? Cum in iis quoque posterioribus scriptis haud pauca praecepta artis reperiantur, non nulli inde concludunt multa Hermagorae deberi [4]. Sed minime verum est omnium praeceptorum artis Hermagoram solum auctorem fuisse. Τεχνολογία enim ante eum regnaverat neque umquam ab antiquis eius solius propria habita est. In secundo quidem de Oratore libro τεχνολογία [5] continetur sed ea quae ab Hermagorea valde differat. Quae enim Cicero in libris de Inventione Hermagorae propria tradiderat ea consulto et in libris de Oratore et

1. Cf. Thiele, *Hermagoras*, p. 113-121.

2. Hac voce, quam Cicero usurpavit, graecam vocem παράδοξον male exprimi contendit Thiele, *Quaestiones de Cornifici et Ciceronis artibus rhetoricis*, p. 6.

3. Inv., 1, 15, 20.

4. Ita sentit vir doctissimus W. Kroll, qui totam Ciceronis de inventione doctrinam ex Hermagora haustam esse contendit (*Cicero und die Rhetorik, Neue Jahrbücher für das klassische Altertum*, XI, 1903, p. 682-683).

5. Att., 4, 16, 3.

in aliis operibus abiecit. Nam quartam constitutionem omisit, semperque tres tantum status posuit [1]; singularum causarum argumentis anteposuit communes omnibus quaestionibus locos [2]; exordiorum praecepta iam non ex causarum genere honesto, admirabili, humili, ancipiti, obscuro sed aliunde repetivit [3]; digressionem tamen quam, ab Hermagora inter partes orationis numeratam, reiecerat [4], perutilem iudicavit [5].

Quae vero in libris de Inventione certo Hermagorea esse deprehendimus ea ab ipsone Hermagora sumpserit an ab aliquo scriptore artis, Hermagoram secuto, certum non est. Contendunt non nulli Hermagorae librum nunquam Ciceroni in manibus fuisse [6]. Sed animadvertenti quibus verbis Cicero de eo loquatur [7] videtur potius eum legisse, praesertim cum praecipuos de arte rhetorica libros conquisierit [8] et tunc inter celeberrimos Hermagoreus liber fuerit. Ceterum id non est magni momenti, modo constet quae ad Hermagoream doctrinam pertineant.

1. De Or., 2, 24, 104-26, 113 ; 2, 30, 132 ; Part. or., 9, 33 ; 29, 102 ; Or., 14, 45 ; Top., 24, 92-26, 96.

2. De Or., 2, 27, 117, etc. supra, p. 17. Paulo aliter tamen in Partitionibus, 31, 109-39, 138 ; sed cf. Thiele, *Hermagoras*, p. 92.

3. De Or., 2, 78, 315-80, 325 ; Part. or., 8, 28-30 ; Or., 15, 50 ; 36, 124 ; Top., 26, 97.

4. Inv., 1, 51, 97.

5. De Or., 2, 77, 312 ; Part. or., 5, 15 ; Brut., 93, 322.

6. Volkmann, p. 50 ; Thiele, *Hermagoras*, p. 16 ; Kröhnert, *Die Anfänge der Rhetorik bei den Römern*, p. 30. Aliter iudicaverunt Bader, p. 18-23 ; Netzker, p. 47.

7. Inv., 1, 6, 8 ; 1, 9, 12 ; 1, 11, 16 ; 1, 51, 97 ; Brut., 76, 263 ; 78, 271.

8. Inv., 2, 2, 4-5 ; cf. 2, 3, 8.

§ 2. — Quid Asiaticis Rhodiisque rhetoribus debuerit.

Asiaticos rhetores Cicero magistros habuit; Menippo, Dionysio, Aeschylo, Xenocli operam dedit [1]; has exercitationes ita in *Bruto* commemorat ut se ex iis fructum non mediocrem percepisse significet. Nunquam tamen ullam rhetoricae doctrinae partem se ab Asiaticis sumpsisse memorat. Nec mirum : Asiatici enim potius exercitatione oratores instituere et flumen orationis augere verbaque exornare quam subtiliora artis praecepta excolere solebant.

Aliquid tamen in Asiatica eloquentia frequentatum non modo usu didicit sed ipse ad perfectam eloquentiam necessarium esse docuit : clausulam numerosam. Ex variis pedibus quibus sententia terminari potest paucos Asiatici selegerant : dichoreum praecipue usurpabant [2], cretico quoque et eius aequali paeane saepe utebantur [3]. Easdem clausulas Cicero ceteris semper anteposuit, accuratissime post reditum ex Asia consectatus est. Cum vero in Oratore de numerosa oratione praecepta dedit tum eas clausulas commendavit quas scimus Asiaticis oratoribus maxime probatas; primum locum dichoreo dedit, eum cadere praeclare declaravit, de eo plura dixit quam de ulla alia clausula, cum tamen moneret fugiendam in eo usurpando esse satietatem [4];

1. Brut., 91, 315-316; supra, p. 4-5.
2. Or., 63, 212; Quintil. 9, 4, 103; Rufin. *Rhet. lat.*, p. 582, 10-12. Asiaticos videtur impugnare qui scripsit librum περὶ ὕψους cum dichoreum vituperat (41, 1).
3. Norden, p. 140-141; E. Müller, *De numero Ciceroniano*, p. 52-55.
4. Or., 63, 212-215; cf. infra, p. 102.

creticum deinde laudavit eiusque aequalem paeanem [1]; ceteros pedes rariores esse voluit [2].

In his igitur praeceptis, Asiaticae rhetoricae vestigia manifesta sunt [3], quamquam non constat utrum haec a solis Asiaticis Cicero didicerit, an etiam a Rhodiis [4]; erant enim in multis Asiaticorum similiores.

Molo Rhodius Ciceronem Rhodi et Romae eloquentiam docuerat ; et, quamquam eum praecipue instituendo notandisque vitiis iuverat [5], tamen vix potuit eius exercitationibus ita praeesse ut praecepta artis non aliquando traderet [6]. Ceterum, ante quam Cicero Moloni operam daret, aliquid iam e Rhodiorum arte rhetorica hauserat. Nam in libris de Inventione quaedam ex Rhodio aliquo doctore sumpta esse constat. Secus enim intellegi non

1. Or., 64, 215.

2. Or., 64, 215-218.

3. Viro doctissimo H. Bornecque adsentiri non possum haec scribenti : « Un homme (Cicéron) qui, ayant à parler des clausules « métriques, *s'est borné à traduire Aristote,* au lieu d'exposer « courageusement les règles qu'il avait suivies » (*Revue de Philologie,* XXIX, 1905, p. 50). De dichoreo enim, de cretico, de spondaeo (quem post paeanem Cicero probat), Aristoteles ne mentionem quidem fecit.

4. Rhodi scholas eloquentiae celeberrimas fuisse egregie ostendit Marx, *ad Her. Proleg.*, p. 157 ; cui non nulla addidit W. Schmid, *Ueber der kulturgeschichtlichen Zusammenhang und die Bedeutung der griechischen Renaissance in der Römerzeit,* p. 11-13, 41. Negaverant antea viri doctissimi, v. g. Jebb, *The Attic Orators,* II, p. 447. Rhodiorum studia rhetorica maxime extenuare conatus erat Brzoska (*De canone decem oratorum atticorum,* p. 42, 44, 46, 52, 97), qui, post Reifferscheid magistrum suum, Pergamenis quam plurimum tribuebat. Nunc vero constat Pergamenos ad excolendam rhetoricam ante Apollodori aetatem aut nihil aut parum contulisse. Nullum omnino indicium est quo eis Cicero quicquam debuisse ostendatur. — Quanti a multis fieret Rhodiorum institutio oratoria, Laterensis significavit cum suum dicendi genus ironia quadam excusans dixit : « Rhodi enim ego non fui » (Planc., 34, 84).

5. Brut., 91, 316.

6. Videtur ipse Molo artem scripsisse. Cf. Quintil., 3, 1, 16.

posset cur exempla potius e Rhodiorum institutis quam ex aliorum longe nobiliorum populorum legibus sumerentur :

Si *Rhodiis* turpe non est portorium locare. Inv., 1, 30, 47.
Rhodii quosdam legarunt Athenas. Inv., 2, 29, 87.
Lex est apud *Rhodios,* ut, si qua rostrata in portu navis deprehensa sit, publicetur. Cum magna in alto tempestas esset, vis ventorum, invitis nautis, in Rhodiorum portum navem coegit. Inv., 2, 32, 98.

Quod si Athenienses aut Lacedemonii nominarentur, vix quicquam inde concludere liceret : illustrissimas enim civitates in exemplum adduci nemo miraretur ; sed cur Rhodii potius commemorentur quam alii multi, non intellegitur nisi doctor cum Rhodiis coniunctionem habuerit peculiarem. Accedit quod Apollonii Rhodii [1] dictum quoddam laudatur.

Non tamen ex his indiciis concludendum puto integros libros de Inventione ex Graeco Rhodii alicuius opere ad verbum expressos esse. Censuit id quidem F. Marx [2] ; sed non animadvertit potuisse Ciceronem e variis fontibus haurire, immo conatum esse quam plurima diversa in unum opus colligere [3]. Cur Rhodia exempla apud Ciceronem reperiantur facile explicant qui Hermagoram Rhodi docuisse putant [4]. Hoc tamen pro certo neque affirmari neque negari potest.

1. Inv. 1, 56, 109.
2. *Ad Her. proleg.*, p. 161-162. Rectissime Schanz, postquam praecipua eius placita enumeravit, ita concludit : « Ich glaube nicht, « dass Marx, trotz seiner ausgezeichneten Gelehrsamkeit einen « dieser Sätze völlig bewiesen hat ». (*Geschichte der römischen Litteratur,* I², § 197, p. 390). Angermann vero, Marxi discipulus, ne suspicari quidem videtur vel levissimam dubitationem oriri posse de magistri sui auctoritate (*De Aristotele rhetorum auctore,* p. 2, 4, etc).
3. Inv. 2, 2. 4.
4. Thiele, *Hermagoras,* p. 188-189.

§ 3. — Quid Stoicis debuerit.

Hermagoream rationem rhetoricam a Stoica manasse non nulli docti viri quondam arbitrati sunt [1] ; nunc vero constat non modo id falsum esse, sed inter Stoicam disciplinam et Hermagoream discrimen maximum fuisse [2] : Stoici rhetoricam philosophiae partem esse voluerant, Hermagoras rationem perfecit quae meram rhetoricam, abiecta omni philosophia, exhiberet. Itaque ab illa quaestione quid ex Hermagora Cicero hauserit, prorsus segregandam illam alteram puto : quid Stoicis debuerit.

Ac primum quidem sciendum est Stoicos non multa in perficienda arte rhetorica praestitisse ; quod ipse Cicero testatur, cum eos dialecticam quidem excoluisse, inveniendi vero artem neglexisse haud semel affirmat :

Cum omnis ratio diligens disserendi duas habeat partis, unam inveniendi, alteram iudicandi, utriusque princeps, ut mihi quidem videtur, Aristoteles fuit. *Stoici* autem in altera elaboraverunt ; iudicandi enim vias diligenter persecuti sunt ea scientia quam διαλεκτικὴν appellant; *inveniendi artem* quae τοπικὴ dicitur, quae et ad usum potior erat et ordine naturae certe prior *totam reliquerunt.* Top., 2, 6.

Cum duae sint artes, quibus perfecte ratio et oratio compleatur, una inveniendi, altera disserendi, hanc posteriorem et Stoici et Peripatetici, priorem autem illi egregie tradiderunt, *hi* [3] omnino ne attigerunt quidem. Nam e quibus locis quasi thesauris argumenta depromerentur *vestri ne suspicati quidem sunt.* Fin., 4, 4, 10.

1. Volkmann saepe, v. g. p. 12. In eumdem errorem incidit aliquando Striller, *De Stoicorum studiis rhetoricis,* p. 19, 24. Fueritne ipse Hermagoras Stoicus, ut Harnecker contendit (*Die Träger des Namens Hermagoras, Neue Jahrbücher fur Philologie und Pädagogik,* CXXXI, 1885, p. 69-76), neque constat neque praesentis disputationis est.
2. Thiele, *Hermagoras,* p. 173.
3. De huius vocis vi, cf. Madvigii adnotationem (p. 493).

Stoicus iste nihil adiuvat, quoniam quem ad modum inveniam quid dicam non docet. De Or., 2, 38, 159.

Quas vero Stoici artes rhetoricas scripserant Cicero aspernatur. Diogenis Babyloni de quo saepe loquitur librum περὶ ῥητορικῆς [1] ne nominat quidem. De Chrysippo et Cleanthe haec ait : « Quamquam scripsit artem rheto- « ricam Cleanthes, Chrysippus etiam [2], sed sic ut si quis « obmutescere concupierit, nihil aliud legere debeat [3] ».

Quia tamen rhetorica et dialectica quasi inter se conexae sunt, cum utraque in probando versetur argumentisque utatur, interdum Cicero argumentandi praecepta mutuatur e Stoicis, quod in Topicis iamdiu agnitum est [4] ; ceterum id ipse aperte confessus est.

Deinceps est locus *dialecticorum* [5] proprius.... Top., 12, 53.

Hoc disserendi genus attingit omnino vestras quoque in respondendo disputationes, sed *philosophorum* magis, quibus est cum oratoribus illa ex repugnantibus sententiis communis conclusio quae a dialecticis tertius modus, a rhetoribus ἐνθύμημα dicitur. *Reliqui dialecticorum modi plures sunt...* Atque ex iis conclusionibus, quas supra scripsi, prior quartus, posterior quintus a *dialecticis* modus appellatur. Deinde addunt... Top., 14, 56-57 [6].

Jam in libris de Inventione monuerat se e philosophorum libris quaedam hausisse quae ab artis scriptoribus neglecta essent.

1. Cuius reliquias certas incertasque collegit von Arnim, *Stoicorum veterum fragmenta,* III, p. 235-243.

2. Ex iis artibus fere nihil superest ; cf. von Arnim, ibid, II, p. 95-96.

3. Fin, 4, 3, 7.

4. Cf. Brandis, *Rheinisches Museum, III,* 1829, p. 549-554 ; Klein, *De fontibus Topicorum Ciceronis,* p. 44-47.

5. Stoicos dialecticorum nomine indicari recte monet G. Ammon, *De Dionysii Halicarnassensis librorum rhetoricorum fontibus,* p. 17.

6. Cf. Diog. Laert., 7, 1, 79-81 ; Sext. Empir. Pyrrh., 2, 157-158 ; Prantl, *Geschichte der Logik,* I, p. 473.

Inventa exornari et certas in partes distingui et suavissimum est et summe necessarium et ab artis scriptoribus maxime neglectum. Quare et de ea praeceptione nobis et in hoc loco dicendum visum est ut ad inventionem *argumentandi ratio* adiungeretur... Inv., 1, 30, 50.

Ex qua philosophorum secta illa argumentandi ratio [1] hausta est ? Nempe ex ea quae dialecticam maxime coluerat. Id non modo valde veri simile est, quia Stoici maxime in dialectica elaboraverant, sed ex ipsis regulis quae dantur, et ex terminis qui adhibentur manifestum [2].

Sed haec potius ad philosophiam quam ad eloquentiam pertinebant. De ipsa eloquentia Cicero partim cum Stoicis consentit, partim ab iis dissentit. Dixerant Stoici eloquentiam virtutem esse, virtutes autem solius sapientis esse, solum igitur sapientem eloquentem esse. Concedit Cicero eloquentiam esse virtutem, minime vero solum sapientem esse eloquentem ; ex iis igitur quae Stoici de eloquentia disseruerant, id tantum admittit quod communi hominum opinioni non repugnat aut minus repugnat.

Horum alii, sicut iste ipse *Mnesarchus* hos, quos nos oratores vocaremus, nihil esse dicebat nisi quosdam operarios lingua celeri et exercitata ; oratorem autem, nisi qui sapiens esset, esse neminem, atque ipsam *eloquentiam,* quod ex bene dicendi scientia constaret, *unam quamdam esse virtutem*, et, qui unam virtutem haberet, omnis habere, easque esse inter se aequalis et paris ; ita, qui esset

1. Quae fuse explicatur : Inv., 1, 30, 50-41, 77.

2. Cf. Philipson, *Neue Jahrbücher für Philologie und Pädagogik,* CXXXIII, 1886, p. 422, cui tamen non adsentior contendenti prooemium librorum de Inventione et ea quae in iisdem libris contra Hermagoram dicta sunt, Stoico et quidem Posidonio, deberi. Locus Plutarchi (Pomp. 42, 4), quo Philipson aliique utuntur ad explicandam Hermagorae vituperationem (Inv., 1, 6, 8), non mihi videtur posse certo ad eamdem quaestionem referri. — De quibusdam aliis Stoicae sectae vestigiis quae in libris de Inventione exstant, cf. Jaeneke, p. 76-78.

eloquens, eum virtutes omnes habere atque esse sapientem. Sed haec erat spinosa quaedam et exilis oratio, longeque ab nostris sensibus abhorrebat. De Or., 1, 18, 83.

Est enim *eloquentia una quaedam de summis virtutibus;* quamquam sunt omnes virtutes aequales et pares, sed tamen est species alia magis alia formosa et illustris ; sicut haec vis, quae scientiam complexa rerum sensa mentis et consilia sic verbis explicat, ut eos, qui audiant, quocumque incubuerit, possit impellere ; quae quo maior est vis, hoc est magis probitate iungenda summaque prudentia ; quarum virtutum expertibus si dicendi copiam tradiderimus, non eos quidem oratores effecerimus, sed furentibus quaedam arma dederimus. De Or., 3, 14, 55.

Stoicos autem quos minime improbo, dimitto tamen ; nec eos iratos vereor, quoniam omnino irasci nesciunt ; atque *hanc iis habeo gratiam, quod soli ex omnibus eloquentiam virtutem ac sapientiam esse dixerunt.* Sed utrumque est in his, quod ab hoc quem instruimus oratore, valde abhorreat : vel quod omnes, qui sapientes non sint, servos, latrones, hostes insanosque esse dicunt, neque tamen quemquam esse sapientem. De Or., 3, 18, 65.

Cum de iis quae ad mores pertinerent maxime Stoici curarent, quid deceret diligentissime exquisiverant. Quoniam vero oratori quid deceat maxime videndum est, non mirum est Ciceronem aliqua a Stoicis in ea re accepisse [1]. Praecepta de eo quod Graeci πρέπον, ipse *decorum* vocabat, non modo in libris de Officiis [2] (quos Stoicorum placitis refertos esse apud omnes constat [3]), sed etiam in oratoriis libris explicavit.

Ut enim in vita, sic in oratione, nihil est difficilius quam quid deceat videre. Πρέπον appellant hoc Graeci, nos dicamus sane *decorum ;* de quo praeclare et multa praecipiuntur et res est cognitione dignissima ; huius ignoratione non modo in vita sed saepissime et in poematis et in oratione peccatur. Or., 21, 70.

1. Cf. G. Ammon, *De Dionysii... fontibus*, p. 53.
2. Off. 1, 27, 93-41, 149.
3. Att., 16, 11, 4 ; cf. Schanz, I², § 170, p. 332 ; Schmekel, p. 18-46 ; Thiaucourt, p. 302-316.

Itaque hunc locum longe et late patentem *philosophi* solent in *officiis* tractare — non cum de recto ipso disputant, nam id quidem unum est [1] — grammatici in poetis, *eloquentes* [2] in omni et genere et parte causarum. Or., 21, 72.

Hoc loco continetur id quod dici Latine *decorum* potest, Graece enim πρέπον dicitur. Off., 1, 27, 93.

Stoici, praeter ea quae ipsorum propria erant, multa tradebant quae ceterae quoque scholae docuerant et docebant. Velut tria eloquentiae genera distinguebant, deliberativum, iudiciale, demonstrativum [3]. Talia non eis potius quam ceteris Cicero debuit sed quasi ex communi omnium thesauro deprompsit. Memorat tamen a Zenone perfectam Aristotelis quamdam sententiam : quod enim is monuerat, rhetoricam quasi ex altera parte respondere dialecticae [4], idem Zeno manu demonstrabat: « Nam cum compresserat digitos pugnumque fecerat, « dialecticam aiebat eiusmodi esse ; cum autem deduxerat « et manum dilataverat, palmae illius similem eloquen- « tiam esse dicebat [5] ».

Ad Stoicos referendam esse divisionem trium dicendi generum, a Cicerone usurpatam, contendit W. Schmid [6]. Sed id nullo alio argumento probatur nisi quod similis quaedam partitio apud Fortunatianum quoque reperitur [7]. Jam vero minime constat omnia quae a Fortunatiano

1. Hanc quoque doctrinam Stoicam esse manifestum est. Cf. Sandys, *Orator,* p. 80.

2. Maxime notandum est Ciceronem non dicere, id quod in hac sententia exspectatur, « rhetores » sed « eloquentes ». *Rhetores* enim de ea re praecepta dare non solebant sed *eloquentes* philosophorum, maxime Stoicorum, praeceptis aut scientes, aut imprudentes orationem conformabant.

3. Diog. Laert., 7, 34, 42.

4. Arist., Rhet., 1, 1, 1. — Cf. Or., 32, 114.

5. Or., 32, 113.

6. *Rheinisches Museum,* N. F. XLIX, 1894, p. 134-145.

7. *Rhet. Lat. min.,* p. 125, 29-126, 3.

tradantur Stoica esse [1], multo minus ea iam ante Ciceronis aetatem in Stoicam rhetoricam recepta. Praeterea apud Fortunatianum tria dicendi genera in alia plura dividuntur, non item apud Ciceronem. Re quidem vera Fortunatiano nihil fere est in ea re cum Cicerone commune, nisi illa ipsa distributio quae a Theophrasto primum prolata [2] multorum postea fuit : eam enim « Graecis » tribuit Gellius [3], non ignorata est a Varrone [4], adhibetur a Dionysio [5], nec in rhetorica ad Herennium [6] desideratur.

Si colligimus omnia quae Cicero Stoicis in rhetorica debuit [7] pauca reperimus : praecepta quaedam de argumentatione, de decoro; accedit illud quod ad summam artis oratoriae spectat : eloquentiam virtutem esse. Ex quo libro haec Cicero hauserit non potest pro certo affirmari. Habuit ille quidem in manibus Chrysippi et Cleanthis artes rhetoricas [8]. Sed quae a Stoicis mutuatus est, videtur non ex artibus rhetoricis sed e philosophiae libris excerpsisse; quod ipse non obscure significat [9]. Potuerunt quae de decoro scripsit libro Panaetii *περὶ τοῦ καθήκοντος* [10] deberi. Quae vero de argumentatione in libris

1. Cf. Reuter, *Hermes*, XXVIII, 1893, p. 90, n. 1.
2. Supra, p. 40.
3. Gell., 6, 14, 1.
4. Gell., 6, 14, 6 ; cf. 6, 14, 8 (de Polybio et Rutilio).
5. De Dem., 1-3.
6. 4, 8, 11.
7. Plus aequo, ut mihi quidem videtur, Stoicis tribuit Radermacher apud Sudhaus, *Philodemi vol. rhet. suppl.*, p. IX-XXVI, et *Rheinisches Museum*, N. F. LIV, 1899, p. 285-292 (Cf. G. Ammon, *Jahresbericht über die Fortschritte der klassischen Altertumswissenschaft*, CV, 1900, p. 222 ; CIX, 1901, p. 137 ; von Arnim, *Leben und Werke des Dio von Prusa*, p. 90, n. 1).
8. Fin., 4, 3, 7 ; supra, p. 52.
9. Inv., 1, 41, 77 ; cf. 1, 30, 50.
10. Att., 16, 11, 4.

de Inventione dicta sunt ea non nullis [1] visa sunt e Posidoni aliquo libro esse sumpta. Sed qui primus id censuit coactus est, ut suam opinionem tueretur, contendere libros de Inventione post reditum ex Asia scriptos esse [2]; quod mihi nequaquam videtur probabile [3]. Ego potius censuerim Ciceroni Chrysippum auctorem fuisse, a quo non modo nihil in Stoicis praetermissum putat [4] sed eum maxime cum de dialectica agit commemorare solet [5]. Ceterum multi erant illis temporibus Stoicorum libri inter se similiores in quibus eadem fere inveniebantur quae apud Chrysippum; itaque in ea re nihil certum habeo. Neque a quo Cicero didicerit eloquentiam virtutem esse, diiudicare audeo : id a multis Stoicis, ne dicam ab omnibus, dictitabatur. Potuit Cicero id in multis libris legere ; potuit id saepius in sermonibus audire, cum non nullorum Stoicorum consuetudine usus sit [6] ; scivit id a Mnesarcho disputatum [7]; audivit, ut opinor a Diodoto, a Posidonio, cum iisque ipse disputavit. Sed a quibus hominibus haec acceperit suspicamur, a qua schola, scimus.

§ 4. — Quid Academicis debuerit.

Haec cum Stoicis deberet, non mirum est Ciceronem, qui se Academicum diceret, plura etiam ab Academicis

1. Philipson, *Neue Jahrbücher für Philologie und Pädagogik*, CXXXIII, 1886, p. 417-423.
2. Philipson, *Ibid.*, p. 422-423.
3. Non enim tam rudes essent; clausularum leges, quas Cicero post reditum ex Asia servavit, constantius servarentur; denique non scriberet Cicero : « quae pueris aut adulescentulis nobis... exciderunt. » (De Or., 1, 2, 5).
4. Fin., 1, 2, 6.
5. Or., 32, 115 ; Fin., 4, 4, 9 ; Ac., 2, 29, 93 ; 2, 30, 96 ; Fat., 16, 38.
6. Fam., 13, 16, 4 ; Brut., 90, 309 ; Ac., 2, 36, 115; Tusc., 2, 25, 61 ; 5, 39, 113 ; Nat. Deor., 1, 3, 6 ; Fat., 3, 5 ; Fin., 1, 2, 6.
7. De Or., 1, 18, 83.

sumpsisse. Diu quidem Academici rhetoricam neglexerant [1]; sed ille quem Cicero magistrum habuit, Philo Larissaeus, sola philosophia non contentus, eloquentiam quoque docuerat [2]. Eum postea alii imitati sunt; sed praecepta artis quae tradiderunt pleraque non videntur a ceterarum scholarum valde fuisse diversa.

Multa certe Academicorum praecepta Cicero in libellum de Partitionibus oratoriis contulit; quod ipse testatur : « Expositae tibi omnes sunt oratoriae partitiones, « quae quidem e media illa nostra Academia effloruerunt, « neque sine ea aut inveniri aut intelligi aut tractari « possunt » [3]. Assumunt non nulli tamquam ex hoc loco demonstratum, Ciceronis Partitiones oratorias esse ad verbum e Graeco alicuius Academici libello expressas [4]. Sed id Cicero non affirmat : ait tantum partitiones ex Academia effloruisse, id est eam doctrinam Academicam esse, non unius Academici librum a se in Latinam linguam conversum. Itaque errant qui quaecumque in Partitionibus inveniunt Academica esse concludunt [5].

Ex iis quae Academici de arte dicendi protulerant, nihil Ciceroni utilius visum est quam quod morem dis-

1. Cf. von Arnim, *Leben und Werke des Dio von Prusa,* p. 84.
2. Tusc., 2, 3, 9.
3. Part. or., 40, 139.
4. « Der akademische Abriss der Rhetorik den Cicero in den Partitiones *übersetzt* hat ». W. Kroll, *Studien über Ciceros Schrift de Oratore, Rheinisches Museum,* N. F. LVIII, 1903, p. 584 « ...Welche letzteren (Partitiones) Cicero *ausdrücklich* als die *Uebersetzung* einer akademischen Schrift bezeichnet ». W. Kroll, *Cicero und die Rhetorik, Neue Jahrbücher für das klassische Altertum,* VI (XI), 1903, p. 684. « Ciceros Partitiones « die aus einem akademischen Handbuche übersetzt sind ». *Ibid.,* p. 688. « In partitionibus, ubi nil fecit nisi ut Academici alicuius « Philonis ni fallimur praecepta modo Graece tradita uerteret « additis exemplis perpaucis Latinis ». Marx, *ad Her. proleg.*, p. 81.
5. Kroll, *Ibid.*; Wallies, p. 41, quem refellit Hammer, *De Ciceronis Topicis,* p. 22-23.

putandi in utramque partem induxerant, neque tantum de finitis causis sed de infinitis quaestionibus, quae θέσεις vocabantur, disputabant. Erat id quidem antiquum, ab ipso Aristotele factitatum, sed a plerisque postea neglectum, itaque Cicero in hoc se antiquorum vestigiis insistere non immerito gloriabatur. Quamquam paulo ante eum Academici [1] hanc rationem instaurare coeperant : « Nunc enim », ait Crassus in tertio de Oratore, « apud Philonem, quem in Academia vigere « audio, etiam harum iam causarum cognitio exercita- « tioque celebratur » [2]. Eam Philonis rationem Aristoteleae similem ait Cicero :

Itaque mihi semper *Peripateticorum Academiaeque* consuetudo de omnibus rebus in contrarias partis disserendi non ob eam causam solum placuit, quod aliter non posset, quid in quaque re veri simile esset inveniri, sed etiam quod esset ea maxuma dicendi exercitatio. Qua princeps usus est *Aristoteles,* deinde eum qui secuti sunt. Nostra autem memoria, *Philo,* quem nos frequenter audivimus, instituit alio tempore rhetorum praecepta tradere, alio philosophorum. Tusc., 2, 3, 9 ; cf. Nat. Deor., 1, 5, 11.

Leve tamen discrimen inter Aristoteleam et Academicam rationem esse non negat, easque sic distinguit :

Sin aliquis extiterit aliquando qui *Aristotelio more* de omnibus rebus in utramque partem possit dicere et in omni causa duas contrarias orationes praeceptis illius cognitis explicare *aut hoc Arcesilae modo et Carneadi* contra omne quod propositum sit disserat [3], quique ad eam rationem

1. Sophistarum quoque eam exercitationem fuisse indicant haec Ciceronis verba : « Σοφιστεύω enim, simul ut rus decurro, atque in « decursu θέσεις meas commentari non desino ». Att., 9, 9, 1 ; cf. 9, 4. Quem locum miror a doctissimis viris qui de ea re scripserunt (v. g. von Arnim, *Dio,* p. 114) non animadversum.

2. De Or., 3, 28, 110.

3. Recte de hoc loco notat von Arnim : « Dies könnte zunächst « als ein wesentlicher Unterschied der Methode erscheinen. Aber « wir brauchen nur anzunehmen dass unmittelbar hinter einander

adiungat hunc rhetoricum usum exercitationemque dicendi, is sit verus, is perfectus, is solus orator. De Or., 3, 21, 80.

Cum Academicis mos esset contra omnia disserere, mirum non est eos contra rhetoricam disputasse. Essetne ars aliqua dicendi eaque utilis, antiquissima contentio erat [1]. Academici saepe aut nullam artem esse dicendi aut eam inutilem esse contendebant [2]. Id Ciceroni placere non poterat, qui in eloquentia gignenda artem non minimum valere arbitraretur [3]. Sed addebant Academici philosophiam oratori esse necessariam, cum animi motus excitare nemo posset nisi qui eos pernosceret. Cicero artem rhetoricam non reiecit, quod Academici fecerant, sed Academicis adsentitur dicentibus philosophiam oratori discendam, animorum motus pernoscendos. Itaque, quod ipse in prooemio librorum de Oratore et in aliis libris [4] affirmat, idem refert a Charmada defensum contra Menedemum disputante :

Charmadas vero multo uberius eisdem de rebus loquebatur, non quo aperiret sententiam suam — hic enim mos

« zwei diametral entgegengesetzte Behauptungen proponirt wer- « den, um die logische Aehnlichkeit der beiden Methoden zu einer « thatsächlichen werden zu sehn ». *Dio*, p. 85.

1. Cf. Sudhaus, *Philodemi Vol. Rhet.*, I, p. XXVII. Disputationem illam iam a Platone eiusque *Gorgia* esse repetendam recte animadvertit G. Ammon, *Blätter für das bayerl. Gymn.*, XXXV, 1899, p. 135.

2. Sextus Empiricus, adv. Rhet., 20-42, p. 678, 23-683, 16 (ed. Bekker). Cf. Quintil., 2, 17 ; Philodem., I, 14-15 ; 16 ; 22 ; 359-360 ; II, 71-72, 97-98 (98, 11 : καὶ Κριτόλα[ος οὐκ ἀπαρ]νε[ῖ]ται) ; 100 ; 107-108 ; 125-126 ; G. Ammon, *Blätter für das bayerl. Gymn.*, XXXV, p. 135-136 ; Liers, *Rhetoren und Philosophen im Kampfe um die Staatsweisheit*, p. 9-10. Olivier, *de Critolao peripatetico*, p. 28-37. Quos omnes antiquos recentesque scriptores, quibus Ciceronis dicta illustrantur, ignorare visus est A. Lieby, cum hanc eamdem quaestionem tractaret (*Quantum philosophiae studio...*, p. 23-54).

3. Supra, cap. I.

4. De Or., 1, 5, 17 ; Or., 4, 14, etc. ; cf. supra, p. 13-15, 23-24.

erat patrius *Academiae* adversari semper omnibus in disputando — sed cum maxume, tum hoc significabat, eos qui rhetores nominarentur et qui dicendi praecepta traderent, nihil plane tenere *neque posse quemquam facultatem assequi dicendi, nisi qui philosophorum inventa didicisset.* De Or., 1, 18, 84.

Caput enim esse arbitrabatur oratoris, ut et ipsis apud quos ageret talis qualem se ipse optaret videretur ; id fieri vitae dignitate, de qua nihil rhetorici isti doctores in praeceptis suis reliquissent ; et uti ei qui audirent sic adficerentur animis ut eos adfici vellet orator ; quod item fieri nullo modo posse, nisi cognosset is, qui diceret, *quot modis hominum mentes et quibus et quo genere orationis in quamque partem moverentur ; haec autem esse penitus in media philosophia retrusa atque abdita*, quae isti rhetores ne primoribus quidem labris attigissent. De Or., 1, 19, 87.

Sed ex alio quodam loco manifestum est non nulla saltem Academicorum placita in libris de Oratore proponi. Nam in tertio libro, postquam Crassus multis verbis de eloquentia disputavit, sic eum Cotta alloquitur: « Me quidem in Academiam totum compulisti [1] ». Incertum tamen est quae res a Crasso dictae ad Academicos referendae significentur; fortasse multae sunt, sed id concludi non potest cum haec Cottae verba possint ad ea sola quae Crassus de Philone infinitisque quaestionibus [2] dixit, pertinere.

Quidquid id est, dubitari nequit quin Cicero aliquid Academicis debuerit. Non solum in Partitionibus oratoriis quaedam eorum praecepta tradidit sed in ceteris libris ea protulit quae ipsi, antiquorum doctrinam secuti, docere solebant de infinitis quaestionibus, de philosophia oratori necessaria. A quo vero scriptore vel doctore hauserit difficilius est iudicare. Charmadae sententiam

1. De Or., 3, 36, 145.
2. De Or., 3, 28, 110. Cf. 3, 29, 111 ; 3, 30, 120.

ipsi notam fuisse ex primo de Oratore libro [1] patet. Sed ab aliis quoque didicit. Philonem illum apud quem exercitationem de infinitis [2] quaestionibus vigere memorat doctorem habuerat; eum etiam cum Antiocho inter praecipuos suos magistros numerat [3]; ab utroque multa de eloquentia disputari saepe audivit. Adhibueritne libros aliquos ab alterutro conscriptos diiudicare minime possumus. Contendit quidem vir doctissimus von Arnim magnam partem tertii de Oratore libri esse e Graeco Philonis expressam [4]; sed ita levibus argumentis nititur ut pari iure alter vir doctissimus W. Kroll affirmet eumdem locum esse ex aliquo Antiochi libro sumptum [5]. Quorum librorum nulla exstat apud antiquos mentio; sane probare non possum eos numquam exstitisse sed neque illi probant eos fuisse. Itaque ab illa inquisitione abstinendum censeo. Libros de Oratore non esse ad verbum e Graecis expressos postea conabor ostendere. Potuit Cicero in eis scribendis uti liberius quibusdam Graecis Academicorum libris; hoc tamen necessarium non est cum ea quae eum ab Academicis sumpsisse scimus aeque potuerit e Philonis Antiochique scholis et sermonibus didicisse [6].

1. De Or., 1, 18, 84-19, 87.
2. Brut., 89, 306; Tusc., 2, 3, 9; Plut. Cic., 3.
3. Nat. Deor., 1, 3, 6.
4. *Dio von Prusa,* p. 97-111.
5. *Studien über Ciceros Schrift de Oratore, Rheinisches Museum,* N. F., LVIII, 1903, p. 552-576; *Cicero und die Rhetorik, Neue Jahrbücher für das klassische Altertum,* VI, (XI), 1903, p. 688-689.
6. De ceteris philosophorum scholis praeter Stoicos et Academicos nihil videtur disputandum. Nam de Peripateticis quaestio esse non potest, nisi forte ex aliquo recente Peripatetico sumpta sit Aristotelea iocorum divisio (cf. supra, p. 37 n. 3). Epicurei rhetoricam parum coluerant (Quintil., 12, 2, 24); quae vero scripserant, Cicero aut despexit aut ignoravit. Philodemi, quem noverat (Fin., 2, 35, 119; Pis., 28, 68-29, 70; cf. Ascon., p. 14, 23, ed. Kiessling-Schöll; Hirzel, *Untersuchungen,* I, p. 5-9; II, p. 690),

§ 5. — Quid Latinis debuerit.

In secundo de Inventione libro, eorum Graecorum scripta Cicero memorat qui artem rhetoricam maxime excoluerunt [1]; ex Romanis neminem laudat; non tamen negat se rhetorum Latinorum artibus usum esse.

Coeperat eo tempore Latine rhetoricam docere L. Plotius Gallus; eum Cicero non audierat, quod ex hoc Suetoni loco constat:

L. Plotius Gallus. De hoc Cicero in epistola ad M. Titinium sic refert: « Equidem memoria teneo, pueris nobis primum Latine docere coepisse Plotium quemdam. Ad quem cum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere. Continebar autem doctissimorum hominum auctoritate, qui existimabant Graecis exercitationibus ali melius ingenia posse. De rhet., 2.

Videtur igitur Cicero non modo Plotium non audivisse sed nullum alium Latinum rhetorem magistrum habuisse, cum, doctissimorum hominum auctoritati obsequens, non Latinis sed Graecis exercitationibus uteretur.

Minime tamen dubium est quin unam saltem artem Latine scriptam in manibus habuerit. Nam eas Latinas voces quibus Graecas interpretatur non ipse finxit, sed ex aliquo libro sumpsit; minime enim eas ut novas profert, nulla excusatione utitur, non significat se Graeca vocabula Latine reddere conari. Accedit quod eadem verba in rhetorica ad Herennium fere omnia repe-

libros de rhetorica non videtur umquam legisse; quae cum iis communia habet antiquioribus fontibus deberi puto.

1. Inv., 2, 2, 6-3, 8.

riuntur. Usus est igitur Cicero aliquo libro Latine scripto, pluribus fortasse.

At quo libro ? Ex Latinis artibus, quae Ciceronis tempore scriptae sunt, una superest : Rhetorica ad Herennium. Quae vero inter eam et libros Ciceronis de Inventione ratio intercedat, diligenter esset investigandum nisi iam de hac quaestione saepissime esset disputatum, omniaque, quae aut argumento esse aut argumenti similitudinem aliquam habere possent, iamdiu essent a doctissimis hominibus allata [1]. Quamquam vero nihil in ea re plane certum affirmare possum, tamen longe veri similius puto Ciceronem libris ad Herennium usum esse. Non iis quidem solis — cum saepe multo plura proferat, quae neque in iis reperiuntur, nec ab ipso sunt excogitata — ; sed inter alios libros, quorum plerique Graeci erant, non nulli fortasse Latini, Rhetoricam ad Herennium, ut veri similius est, habuit. Id fere constat comparanti quae uterque de insinuatione scripsit [2] : quae enim

1. Purgold, *Observationes criticae*, p. 301-321 ; Westermann, *Geschichte der römischen Beredtsamkeit*, p. 188 ; Bader, *De Ciceronis rhetoricorum libris*, p. 6-18 ; Thiele, *Quaestiones de Cornifici et Ciceronis artibus rhetoricis ; Hermagoras*, p. 93 ; *Göttingische Gelehrte Anzeigen*, 1895, p. 730-733 ; Curcio, *Le opere retoriche*, p. 77-87 ; L. Spengel, *Die Definition und Eintheilung der Rhetorik bei den Alten*, *Rheinisches Museum*, *N. F.*, XVIII, 1863, p. 495 ; Kröhnert, *Die Anfänge der Rhetorik bei den Römern*, p. 30-31 ; *De inventione*, ed. Weidner, p. VIII-XVI ; *Rhet. ad Herennium*, ed. Schütz, p. VII-XXII ; ed. Kayser, p. X-XII ; ed. Marx, p. 119-133. Commode totam disputationem contraxit Schanz, I², § 148, p. 287 ; § 197, p. 389-390.

2. Hoc argumento, quod nunc notissimum est, primus videtur usus L. Purgold (p. 303-304), qui sic narrat : « Nec vero longe in « illa Ciceronis cum Rhetoricis nostris comparatione processeram, « cum inexspectato incidi in locum qui totam *(sic)* illius compara- « tionis cursum praecideret, suspicionemque gravissimam, aut « paene evidentiam mihi praebere videretur, Auctorem librorum « ad Herennium Ciceronis de Inventione libris neutiquam usum « esse... » (p. 303).

in Rhetorica ad Herennium scriptor se primum protulisse dicit, eadem apud Ciceronem leguntur :

Deinceps de *insinuatione* aperiendum est. *Tria sunt tempora* quibus principio uti non possumus quae diligenter sunt consideranda : aut cum turpem causam habemus, hoc est, cum ipsa res animum auditoris a nobis alienat ; aut cum animus auditoris persuasus esse videtur ab iis qui ante dixerunt ; aut cum defessus est eos audiendo qui ante dixerunt... Ad Her., 1, 6, 9.

Adhuc quae dicta sunt arbitror mihi constare cum ceteris artis scriptoribus nisi quia *de insinuationibus nova excogitavimus, quod eam soli praeter ceteros in tria tempora divisimus.* Ad Her., 1, 9, 16.

Nunc *insinuationes* quemadmodum tractari conveniat, deinceps dicendum videtur. Insinuatione igitur utendum est, cum admirabile genus causae est, hoc est, ut ante diximus, cum animus auditoris infestus est. *Id autem tribus ex causis fit maxime :* si aut inest in ipsa causa quaedam turpitudo, aut ab iis qui ante dixerunt iam quiddam auditori persuasum videtur, aut eo tempore locus dicendi datur, cum iam illi quos audire oportet defessi sunt audiendo. Inv., 1, 17, 23.

Ex his mihi fere certum videtur Ciceronem Rhetorica ad Herennium usum esse. Ceterum id fortasse non est tanti momenti quanti videtur non nullis. Hausit certe Cicero ex una saltem arte Latina. Puto illis temporibus artes Latine scriptas iam multas fuisse [1], easque inter se valde similes. Ex qua earum Cicero hauserit non magni refert, modo sciamus multa quae in libris de Inventione et in Rhetorica ad Herennium [2] leguntur ex communi aliqua doctrina quam scriptores artium Latine tradere solebant esse sumpta.

Minus trita praecepta in libris de Oratore Cicero expo-

1. Marx, *ad Her. proleg.*, p. 134.

2. Similes locos qui in utraque arte reperiuntur multi contulerunt, v. g. Purgold, p. 310-321 ; Bader, p. 6-18 ; Schütz, ad Her., p. IX-XVIII ; Kayser, ad Her., p. XII, n. 1 ; accuratius ceteris Thiele (*Quaestiones...*) integro fere libello.

suit cum Crassum et Antonium loquentes fecit. In quibus libris, etsi minime ea tantum quae illi viri dixissent aut etiam sensissent enuntiavit, non nulla tamen iis debuit. Scripserat enim Antonius de eloquentia libellum [1] a quo Cicero se aliqua sumpsisse non semel indicat :

Petimus ab Antonio, ut ea, quae continet neque adhuc protulit, ex quibus unum *libellum* sibi excidisse iam dudum questus est, explicet nobis. De Or., 1, 47, 206.

Neque enim sum de arte dicturus, quam nunquam didici, sed de mea consuetudine : ipsaque *illa quae in commentarium meum rettuli,* sunt eius modi, non aliqua mihi doctrina tradita sed in rerum usu causisque tractata ; *quae si vobis,* hominibus eruditissimis, *non probabuntur*, vestram iniquitatem accusatote... De Or., 1, 48, 208.

Singulariter Ciceroni placuerat sententiola illa qua Antonius disertos se cognosse non nullos, eloquentem adhuc neminem declarabat. Eam saepius commemorat [2]. De statibus quae Cicero Antonium dicentem facit cum iis quae in libello suo dixerat congruunt : tres enim status uterque distinguit, sed Antoni divisionem Cicero ex Graeca disciplina emendat :

Tria sunt omnino genera, quae in disceptationem et controversiam cadere possint : « Quid fiat, factum futurumve « sit », aut « Quale sit », aut « Quomodo nominetur ». De Or., 2, 26, 113.

A plurimis tres sunt facti generales status, quibus et Cicero in Oratore utitur... [3] Tris fecit et *M. Antonius* his quidem verbis : « Paucae res sunt, quibus ex rebus omnes « orationes nascuntur, factum, non factum ; ius, iniuria ; « bonum, malum. » Quintil., 3, 6, 44-45.

Quaedam etiam alia [4], quae potius ex usu quam ex

1. De quo cf. Enderlein, *De M. Antonio oratore,* p. 43-48.
2. De Or., 1, 21, 94 ; 3, 14, 54 ; 3, 49, 189 ; cf. Or., 5, 18.
3. Or., 14, 45.
4. Fortasse ut Hirzel (*Der Dialog,* I, p. 482, n. 3) et Cima (*L'eloquenza latina prima di Cicerone,* p. 166, n. 2) suspicantur, ex eodem libello sumpta sunt quae de rhetoribus philosophisque inter

doctrina [1] rhetorum videntur hausta, veri simile est Antoni libello esse tribuenda ; hoc praesertim praeceptum, quod numquam in ullo ex suis rhetoricis scriptis Cicero dedit, nisi semel, ubi Antonium loquentem fecit :

Ut aliquando ad causas deducamus illum quem constituimus et eas quidem, in quibus plusculum negotii est, iudiciorum atque litium, — riserit aliquis fortasse hoc praeceptum, est enim non tam acutum quam necessarium magisque monitoris non fatui quam eruditi magistri — : hoc ei primum praecipiemus, quascumque *causas* erit tractaturus, ut *eas diligenter penitusque cognoscat.* Hoc in ludo non praecipitur. De Or., 2. 24, 99.

Equidem soleo dare operam ut de sua quisque re me ipse doceat. De Or., 2, 24, 102.

Alia denique ex Antoni non libello sed usu repetivit. Exempla enim ex eius orationibus non nulla laudavit [2]. Neque tantum ex Antoni sed ex Crassi ceterorumque quos colloquentes facit [3] ; eos ipse viderat, de eis plura audierat [4], praesertim a C. Aculeone et L. Cicerone [5]. Solet autem in unoquoque ea laudare quibus eum sui similem putat, in Antonio dispositionem [6], in Crasso elocutionem [7], in Caesare facetias [8]. Initio dicendi Crassus commovebatur vehementius ; id Cicero memo-

se coram Antonio disputantibus narrantur (De Or., 1, 18, 82-20, 93).

1. Sic enim ait Antonius : « Neque enim nunc id agimus ut « artem aliquam dicendi explicemus, sed ut doctissimis homi- « nibus usus nostri quasi quaedam monita tradamus. » De Or., 2, 41, 175.

2. De Or., 2, 47, 194-196 ; 2, 48, 198-50, 204.

3. De Or., 1, 39, 180 ; 1, 52, 225 ; 2, 11, 45 ; 2, 45, 188 ; 3, 1, 4-2, 5 (de Crasso), 2, 47, 197 (de Sulpicio), 3, 38, 153 (de Catulo).

4. Cf. J. Martha, *Brutus,* p. XII-XIII.

5. De Or., 2, 1, 2.

6. De Or., 2, 42, 179.

7. De Or., 2, 28, 122.

8. De Or., 2, 54, 216.

rat [1], quod idem ipsi accidere solebat [2]. Abundantiam quamdam nimiam in Sulpicio adulescente refert fuisse, sed eam non reprehendit. « Volo enim », inquit, « se « efferat in adulescente fecunditas » [3]. Cur vero non reprehendat facile intelligit quicumque meminit quae de se ipso in Bruto scripsit : « nimis redundantes nos et « supra fluentes iuvenili quadam dicendi impunitate et « licentia » [4].

Non nulla igitur iis oratoribus debet quorum colloquia se narrare fingit ; alia quaedam antiquioribus. Legenti secundum de Oratore librum mirum videtur unde innumeras paene illas quas refert facetias Cicero discere potuerit. Unum saltem ex libris quibus usus erat nobis indicavit : facete dicta a Catone collecta.

Quod apud Catonem est, qui multa rettulit, ex quibus a me exempli causa complura ponuntur. De Or., 2, 67, 271 [5].

Ex aliis quoque libris facete dictorum eum sumpsisse suspicari possumus, non tamen pro certo affirmare.

Quae Cicero in Oratore [6] de sono latinarum vocum et de analogia disputat permulta exempla continent quae vix possunt non ex aliquo Latino fonte esse derivata. Non sane omnia descripsit ex alio scriptore : ita eleganter et venuste etiam de his horridulis disserit ut facile eius orationem agnoscas. Neque omnia exempla ex ali-

1. De Or., 1, 26, 121 ; cf. 1, 26, 119-120.
2. Div. Caec., 13, 41 ; Clu., 18, 51 ; Dei., 1, 1.
3. De Or., 2, 21, 88.
4. Brut., 91, 316.
5. Dicendi vero praecepta Catonis, numquam Cicero laudavit. Non modo aureum illud « rem tene, verba sequentur » (Iulius Victor, p. 374; 16-17, Halm), sed ipsam definitionem « vir bonus dicendi peritus » (Quintil., 12 ; 1, 1), vel ignoratione, vel sciens ac prudens praetermisit.
6. Or., 45, 152-48, 162.

cuius grammatici libro hausit; quaedam enim ex sua ipsius consuetudine repetivit :

Nec enim *dixerim* tam lubenter « armum iudicium »... quam « centuriam fabrum » et « procum », ut censoriae tabulae locuntur, audeo dicere, non « fabrorum » aut « procorum » ; planeque « duorum virorum iudicium » aut « trium virorum capitalium » aut « decem virorum stlitibus iudicandis » *dico numquam*. Or., 46, 155-156.

Quid verum sit intellego; sed alias *ita loquor* ut concessum est, ut hoc « pro deum » dico vel « pro deorum », alias, ut necesse est, cum « trium virum », non « virorum », et « sestertium », « nummum », non « sestertiorum », « nummorum... » Or., 46, 156.

« Scripserunt » esse verius sentio sed *consuetudini* auribus indulgenti lubenter *obsequor*. Or., 47, 157.

« Postmeridianas quadrigas » quam « postmeridianas quadriiugas » *lubentius dixerim*. Or., 47, 157.

Quin *ego ipse*, cum scirem ita maiores locutos esse, ut nusquam nisi in vocali aspiratione uterentur, *loquebar* sic, ut « pulcros », « Cetegos », « triumpos », « Cartaginem » *dicerem;* aliquando, idque sero, convicio aurium cum extorta mihi veritas esset, *usum loquendi populo concessi*, scientiam mihi reservavi. Or., 48, 160.

Libenter tamen crediderim eum non ex solo usu exempla sumpsisse sed ex aliquo libro vel aliquibus libris. At quibus? Pauci sunt de quibus ambigere liceat. Aelius Stilo, grammaticus sane clarissimus, non videtur ulla scripta reliquisse [1]. Auctores Cicero potuit habere Varronem et Caesarem. Nondum quidem Varronis de lingua Latina libros acceperat cum Oratorem scripsit [2] ; sed eiusdem « de similitudine verborum [3] » poterat iam legisse. Caesaris quoque de analogia libri ei praesto erant [4]. In utroque opere multa exempla analogiae et anomaliae reperiebantur.

1. Acad., 1, 2, 8.
2. Att., 13, 12, 3 ; cf. Fam., 6, 7, 4 ; Schanz, I², § 192, p. 375.
3. Cf. Schanz, *Ibid.*, p. 376.
4. Brut., 72, 253 ; cf. Gell., 19, 8, 3; Schanz, I², § 120, p. 208.

§ 6. — Quid communi fere omnium doctrinae debuerit.

Praeter ea quae singulis hominibus scholisve Cicero debuit, multa in eius libris legimus quae nullius propria, omnium communia erant.

Ex his quaedam iam ab antiquissimis rhetoribus tradita, post multa saecula, quasi intacta permanserant. Eius modi sunt praecepta quae de singulis orationis partibus dari solebant, velut in exordio auditorem benevolum, attentum, docilem effici oportere [1], narrationem brevem, apertam, probabilem esse debere [2]. Antiquissima haec omnia ; minime tamen pertinebant ad eam « antiquorum » doctrinam quam Cicero in honorem reducere volebat : quam enim « antiquorum » doctrinam vocat ea est quae a rhetoribus primi ante Christum saeculi neglecta erat, non ea quam scriptores artis tradere non desierant.

Erant etiam alia recentiora, post Aristotelem excogitata : divisio rhetoricae in quinque partes « quas plerique dixerunt [3] », quae tamen divisio Aristoteli ignota fuerat [4] ; enumeratio longissima luminum orationis [5], praecepta non nulla de memoria [6] et actione [7].

1. Inv., 1, 15, 20 ; Top., 26, 97 ; cf. Navarre, p. 213-239.
2. Inv., 1, 20, 28 ; cf. Navarre, p. 245-251.
3. Inv., 1, 7, 9.
4. Cf. Volkmann-Hammer, p. 18.
5. De Or., 3, 53, 202-54, 207 ; Or., 39, 135-40, 139. Distinctio vero inter τρόπους et σχήματα nec valde antiqua erat nec fortasse ab omnibus iam recepta. Cf. Schrader, *Hermes*, XXXIX, 1904, p. 563-603. Eam tamen Graecis ipse Cicero acceptam rettulit : *Ornari orationem Graeci putant si verborum immutationibus utantur quos appellant* τρόπους *et sententiarum orationisque formis, quae vocant* σχήματα. Brut., 17, 69 ; cf. 37, 141 ; Or., 25, 83 ; 27, 92-94 ; 54, 181 ; Top., 8, 34.
6. De Or., 2, 85, 350-88, 360 ; Part. Or., 7, 26.
7. De Or., 3, 56, 213-61, 227.

Quibus pervagatis rebus adnumerandam puto divisionem illam sententiarum in *κόμμα, κῶλον, περίοδον* [1]. Quis eam primus protulerit incertum est. Eam Fritzschius perperam Thrasymacho tribuere conatus est [2] cum in notissimum Suidae locum *Θρασύμαχος· Καλχηδόνιος... ὃς πρῶτος περίοδον καὶ κῶλον κατέδειξε*, intrudere voluit : *καὶ κόμμα*. Quod a ratione illius temporis abhorret : *κόμμα* enim ne apud Aristotelem quidem de incisis dicitur [3]. Partitio haec de qua dicimus, post Aristotelem inventa, in multas scholas propagata est ut ipse testatur Dionysius [4]; idem ostendunt Philodemi volumina [5] et Rhetorica ad Herennium [6].

Multa igitur recentioribus Cicero debuit, plura etiam quam « antiquis ». Non modo a quibusdam Latinis scriptoribus exempla mutuatus est facetiarum vel Latinorum verborum, sed ab aequalibus suis et Graecis et Latinis multa dicendi praecepta sumpsit, alia communia omnium, alia propria singularum scholarum. Maxime vero ipsum illud « antiquorum » studium videtur ab Academicis, aequalibus suis, accepisse. Legit quidem antiquos, legit Platonem, Isocratem, Aristotelem ; sed ex iis ea maxime hausit quae cum recentiorum Academicorum doctrina rhetorica congruebant ; ab Academicis edoctus, melius ea quae in Phaedro Platonis continebantur intellexit : sine philosophia perfectum oratorem

1. Or., 66, 223 ; 62, 211 ; 61, 204 ; cf. Brut., 44, 162.

2. *De numeris orationis solutae,* p. 7.

3. Περίοδον et κῶλον, non vero κόμμα, distinguit Aristoteles. Rhet., 3, 9, 5.

4. De Thuc., 22 ; ed. Usener-Radermacher, I, p. 358, 15-16 ; cf. 358, 22 ; εἴρηται πολλοῖς πρότερον.

5. I, p. 164, 23-165, 25, Sudhaus. Qui locus addendus est iis quos accuratissime collegit du Mesnil in libello : *Ueber die rhetorischen Kunstformen Komma, Kolon, Periode.*

6. 4, 19, 26-27.

esse non posse, motus animorum oratori pernoscendos. Ab Academicis quoque exercitationes de infinitis quaestionibus quas Aristoteles instituerat, didicit. Academicis igitur non plura quidem praecepta, sed longe fecundiorem doctrinam quam ceteris recentioribus debuit : ea enim quae ipse maximi momenti esse in oratore instituendo putat Academica sunt.

CAPUT IV

Quid Ciceronis in arte rhetorica proprium fuerit

Quaerenti quid Cicero aliunde sumpserit permulta facile menti occurrunt; investiganti vero quid ipse proprium ac suum ad excolendam artem rhetoricam attulerit, pauciora, ut fateor, observantur. Immo multa quae Ciceroni, quasi ab eo excogitata tribuuntur a quibusdam doctis hominibus, apud scriptores antiquiores reperiuntur; quae vero apud eosdem non exstant minime idcirco a Cicerone inventa demonstrantur, cum multis libris qui nunc interierunt uti potuerit. Minime igitur probare conor permulta nova a Cicerone prolata esse; eum tamen contra quosdam defendendum puto, qui nihil omnino ei proprium fuisse arbitrantur [1].

Sed antequam de singulis doctrinae capitibus quaeram, examinanda est mira quaedam sententia quae olim incredibilis visa esset, nunc vero in dies latius spargitur : Ciceronis opera rhetorica non modo Graecam doctrinam exhibere, sed ne ab ipso quidem composita esse, cum, aut dictante magistro scripta, aut e Graecis

1. « Cicéron lui-même n'inventa rien dans ses divers traités de « rhétorique. » Egger, *Denys d'Halicarnasse*, p. 38. Ita iamdiu multi alii censuerunt, v. g. Schütz : « Si de materia et argumento « horum librorum (de Oratore) quaeritur, facile patet Ciceronem « totum e Graecis pendere. » (*De Oratore, proleg.*, p. xxxi).

aliquibus libris fere ad verbum sint expressa. Quamquam difficile est argumenta ponderare quae pro hac sententia afferantur, cum a plerisque non probetur sed tamquam probata assumatur ad alia demonstranda : non enim fueritne aliquid Ciceronis proprium quaerunt, sed tantum unde hauserit ; nihil in eius scriptis esse putant quod non sit aliunde sumptum.

§ 1. — Num libri de Inventione sint ex uno Graeco scripto expressi.

In libros de Inventione subtilissime inquisivit F. Marx; sed inquisitionis quasi fundamentum posuit eos libros non a Cicerone ipso confectos sed ab aliquo magistro dictatos : cuius rei nullum argumentum vir doctissimus affert nisi hoc : « Tota uero librorum de inu., natura et « compositio ea est ut Cicero non uideatur sua con- « scripsisse sed aliena aut exscripsisse aut descripsisse « dictata [1]. »

Sed haec minime cum testimoniis et historia congruunt. De iis enim libris Cicero postea locutus est, non ut eos laudaret iisve gloriaretur sed ut excusaret se quod tam impolita opera effecisset. Itaque fatetur prima illa « inchoata et rudia [2] » esse, « vixque hac aetate digna et

1. *Ad Her. proleg.*, p. 78 ; cf. *Ibid.*, p. 162 : « Cicero auditas « paulo ante bellum Marsicum praeceptoris sui scholas et in com- « mentarios suos relatas adiectis prooemiis et epilogis edidit ». Putat Marx prooemia librorum de Inventione « ex prooemiorum quadam collectione » (*Ibid.*, p. 78) sumpta esse quam Ciceronem postea in commentariis suis habuisse constat. (Att., 16, 6, 4). Non nego Ciceronem habuisse, anno 44, quo tempore multos libros mira celeritate conscribebat, volumen prooemiorum unde sumeret, cum ei opus esset. Sed non inde probatur Ciceronem, quadraginta annis antea, cum puer vel adulescentulus esset, iam id volumen habuisse.

2. De Or., 1, 2, 5.

hoc usu » ; ea potius e commentariolis suis « excidisse », quam consulto edita esse testatur ; denique « politius » aliquid « perfectiusque » promittit [1]. Quod si illa non ab ipso composita essent sed a magistro, facilis defensio erat : « Non mea sunt sed magistri ; rudis ipse, ego politior ». Nihil tale Cicero ; rudia illa esse confitetur sed tamen sua ; aliis excusationibus utitur non ea quam, si quae Marx affirmat vera essent, certo protulisset.

Vult Cicero pro libris de Inventione alios conficere qui eorum locum teneant [2] ; id non faceret si hos libros, quos agrestes putat, suos non existimaret.

Credendum igitur iis quae iam in hoc opere scribendo Cicero professus est :

> Quod quoniam nobis quoque voluntatis accidit, ut artem dicendi perscriberemus, *non unum aliquod* proposuimus exemplum, cuius omnes partes, quocumque essent in genere, exprimendae nobis necessarie viderentur ; sed omnibus unum in locum coactis scriptoribus, *quod quisque commodissime praecipere videbatur excerpsimus* et *ex variis ingeniis* excellentissima quaeque libavimus. Ex iis enim qui nomine et memoria digni sunt, nec nihil optime nec omnia praeclarissime quisquam dicere nobis videbatur. Inv., 2, 2, 4.
>
> ... Quos ipsos simul atque illos superiores nos nobis omnes, quoad facultas tulit, proposuimus et *ex nostra quoque nonnihil in commune contulimus*. Inv., 2, 3, 8.

Non nullis igitur libris Cicero usus est, quibus inter se comparatis, quae optima ei visa sunt e singulis excerpsit ; pauca, ut ipse fatetur, propria ac sua protulit, sed tamen non nulla.

Quae cum ita sint, vera esse nequeunt quae Marx, miris coniecturis ductus asseverare non dubitavit : libros de Inventione nihil aliud esse nisi Rhodi alicuius rhe-

1. De Or., ibid.
2. De Or., ibid.

toris artem Graece confectam, a Ciceronis doctore in Latinum sermonem conversam [1], a Cicerone in schola, dictante magistro, scriptam. Animadvertit quidem vir doctissimus esse in libris de Inventione Rhodia quaedam exempla [2]. Quod minime negamus; sed inde concludere non licet *totum* opus ex *una* Rhodia arte expressum esse. Facile enim intellegitur unde illa exempla sint, si inter libros quibus Cicero usus est unus aut plures e Rhodia disciplina orti erant [3].

§ 2. — Eadem quaestio de Partitionibus et Topicis.

Partitiones quoque oratorias nihil aliud esse nisi Graecam aliquam artem in Latinum sermonem conversam non nulli arbitrantur, idque ab ipso Cicerone assertum putant. Sed ut ante dixi [4], minime id Cicero asseruit. Neque ita esse veri simile est. Libellus enim a Cicerone ad Marcum filium missus est, qui iam Graece sciebat [5], Graeco rhetori operam dederat [6]. Cur ei Cicero artem aliquam, quae Graece esset scripta, Latine totidem verbis interpretatus esset? Cur in tam inutili negotio tempus et operam consumpsisset? Id certe mirum esset. Minime vero mirum est librum esse confectum quo aut nova quaedam praecepta — quod tamen vix fieri potuisse

1. « In libris de inu. seruata nobis est ars quaedam Graeca « quae *(sic)* Ciceronis praeceptor eodem modo uertit Latine quo « C. Valgius Apollodori praecepta, Iuba Heliodori metrica, Hiero« nymus Eusebii chronica, Priscianus Apollonii syntaxin ». *Ad Her., proleg.*, p. 81-82; cf. p. 122.
2. *Ibid.*, Marx, p. 158-159; cf. 161-162.
3. Cf. supra, p. 49-50.
4. Supra, p. 58.
5. Part. Or., 1, 1-2.
6. Ad Quint, 3, 3, 4.

fateor — traderet, aut quae in diversis artibus reperirentur colligeret, aut saltem quae ab aliquo Graeco dilatata essent comprimeret. Non est igitur cur Cicero in Partitionibus Graecum libellum in Latinam linguam ad verbum convertisse dicatur.

Nihil est tam mirum neque tam a monumentis et historia alienum quod non possit etiam a doctis viris affirmari. Itaque inventi sunt qui dicerent Topica quae Cicero in navigatione, cum libris careret, conscripsit nihil esse nisi Graeci alicuius libelli formam Latinam. Nominatus est auctor Graecus : Antiochus Ascalonita [1].

Cui mirae sententiae nullum video argumentum ullius momenti nisi quod in Topicis Ciceronis variae rationes miscentur : cum paucis Aristoteleis praeceptis Academica et Stoica coniunguntur; Antiochum vero scimus ex variis scholis varias doctrinas sumpsisse et in unum conflasse [2].

Quo argumento fateor mihi rem minime videri demonstratam. Ac primum Topicorum ab Antiocho conscriptorum nullum apud antiquos vestigium exstat. Vestigia Academicae doctrinae in Topicis non demonstrantur fuisse : quod enim quaedam huic libro cum Partitionibus sunt communia, id nullum argumentum est : neque enim omnia quae in Partitionibus reperiuntur Academica sunt [3]. Si quid tamen Academicum in Topicis habetur, potuit non minus a Cicerone, qui Academicos doctores habuerat quam ab Antiocho cum ceteris praeceptis commisceri. Stoica quaedam Topicis inserta esse non

1. Wallies, *De fontibus Topicorum Ciceronis*, p. 45-48. Excipiebat Wallies ultimam Topicorum partem (21, 79-26, 100), sed eam quoque ipsam Kroll Antiocho tribuendam putat (*Rheinisches Museum*, N. F. LVIII, 1903, p. 591-592).

2. Wallies, p. 46.

3. Cf. supra, p. 58.

nego [1]; sed non mirum est id Ciceronem egisse, qui iam in libris de Inventione Stoicorum dialectica ad illustrandam inveniendi artem usus esset [2].

Eo facilius Cicero adductus est ut varias institutiones, quas a magistris didicerat, inter se commisceret, quod Topica in navigatione, cum libros non haberet, conscripsit. Haec enim ipse ait :

Ut primum Velia navigare coepi, institui Topica Aristotelea conscribere, ab ipsa urbe commonitus, amantissima tui. Eum librum tibi misi Regio scriptum. Fam., 7, 19.

Haec, cum mecum libros non haberem, memoria repetita in ipsa navigatione conscripsi tibique ex itinere misi. Top., 1, 5.

Quae non modo nulla ratio est cur in dubium vocentur sed cum ipsa totius libelli indole optime congruunt. Quam enim Trebatius scire cupiebat locorum inveniendorum rationem Cicero primum exponit [3]; deinde, cum otio in navigatione abundet, alia etiam addit quae ad institutum opus non pertinent, de quaestionibus finitis infinitisque, de statibus, de singularum causarum defensionibus, de generibus partibusque orationum [4]. Itaque recte concludit :

Ad id autem quod te velle senseram cumulate satis factum esse debet voluntati tuae. Nam, ne praeterirem aliquid, quod ad argumentum in omni ratione reperiendum pertineret, plura, quam a te desiderata erant, sum complexus, fecique quod saepe liberales venditores solent, ut, cum aedes fundumve vendiderint rutis caesis receptis, concedant tamen aliquid emptori, quod ornandi causa apte et loco positum esse videatur ; sic tibi nos ad id quod quasi mancipio dare debuimus, ornamenta quaedam voluimus non debita accedere. Top., 26, 99-100.

1. Supra, p. 52.
2. Supra, p. 52-53.
3. Top., 2, 7-20, 78.
4. Top., 21, 79-26, 99.

Ex his omnibus mihi certum videtur Topica non ex uno Antiochi libello aliquo translata, sed a Cicerone, varias quas didicerat doctrinas commiscente, esse composita.

§ 3. — **Libri de Oratore quatenus sint e Graecis scriptis expressi.**

Libri de Oratore ita Romanum quasi colorem habent, ita multas res ad historiam eloquentiae Romanae pertinentes sibi permixtas et implicatas continent, ita denique Tullianam abundantiam redolent ut difficillimum sit contendere eos esse e Graecis voluminibus expressos. Itaque nondum quisquam ausus est totum illud opus Graeco alicui scriptori tribuere. Partes tamen quasdam non nulli e Graecis scriptis surreptas esse dixerunt.

Antequam dicam quid de hac opinione sentiendum putem, quasi duo genera tractationum in libris de Oratore distinguenda arbitror. Sunt enim in iis amplificationes quaedam, ut de laude eloquentiae, disputationesque in utramque partem : an sit ars aliqua dicendi, an magna rerum scientia oratori sit necessaria. In his quaestionibus, quibus totus primus liber constat, non puto Ciceroni ullo scripto quod imitaretur opus fuisse. Saepe enim se ad disputandum exercuerat [1] ; et facillime, quo erat praeditus ingenio, quod diceret inveniebat. Sicut igitur, cum solus declamitabat, facile disserebat « manendumne esset in patria a tyranno gubernata », « utendumne esset omni ratione qua tyrannis deleri pos- « set [2] », aut sicut in orationibus pro iure civili [3] et

1. Brut., 90, 310 ; Tusc., 1, 4, 7-8 ; Att., 9, 4 ; 9, 9, 1.
2. Cf. Att., 9, 4.
3. Caec., 25, 70-26, 75.

contra ius civile [1] dicebat, neque ea ex Graecis fontibus hauriebat, sic facillime de eloquentia quoque poterat in utramque partem disputare. Non nulla quidem quae iam a Graecis de eadem re disceptantibus prolata erant afferebat; sed minime ei scriptis libris opus erat cum Academicos Stoicosque familiares suos saepe loquentes audivisset nec ita memoria careret [2] ut non eorum dicta meminisset.

Itaque non puto Ciceroni ad scribendum primum de Oratore librum ullo Graeco libro opus fuisse.

Sed, ut ipse ait « reliqui libri τεχνολογίαν habent [3] ». In iis igitur facile concedam Ciceronem aliquibus artibus usum esse unde praecepta sumeret; illique fontes qui fuissent conatus sum investigare [4]. Multa tamen ita nota, ita saepe a Cicerone audita erant, ut etiam ea memoriter, quod postea in Topicis fecit, tradere potuerit.

Quod vero non nulli putarunt aliquod Philonis aut Antiochi opus a Cicerone in tertio de Oratore libro fere totidem verbis expressum [5], minime veri simile arbitror. Ususne sit libere Cicero eius modi opere — quod exstitisse nemo demonstravit, — sumpseritne ab eo non nulla quae ipse proprio ac suo modo explicaret, neque affirmari neque negari potest. Sed profecto non ex eo totam, ut quidam arbitrantur, tractationem hausit. Proferuntur

1. Mur., 9, 22-14, 30.
2. Memoria Ciceronem valuisse probat Drumann, VI, p. 522.
3. Att., 4, 16, 3.
4. Supra, cap. II, III.
5. Von Arnim (*Dio*, p. 99-100) conatur probare magnam partem tertii de Oratore libri (3, 14, 55-35, 143) esse ex uno Graeco scriptore expressam ; deinde (p. 104) scriptorem illum designat : Philonem. Kroll (*Rheinisches Museum*, N. F. LVIII, 1903, p. 554) assumit tamquam certum eum Ciceronis locum alicui Graeco tribuendum esse ; sed contendit Antiochum, non Philonem auctorem fuisse. Antiocho ipsa lumina orationis quae apud Ciceronem reperiuntur adscribit (*Ibid.*, p. 588, 592-593, 594).

quidem pauci loci in quibus aliqua rerum Graecarum notitia deprehenditur [1]; inde concluditur totam libri partem ex qua excerpti sunt non potuisse nisi a Graeco scribi. Sed ea quae proferuntur minime talia sunt ut Ciceroni necessario ignota fuerint : de nobilissimis Graecis oratoribus, philosophis, scriptoribusque saepe non modo in aliis scriptis [2] sed in ipsis epistulis [3] egit. At versum Homeri laudat [4]. Longe plures in epistulis [5]. At varias disciplinas homo Romanus non poterat ita perdidicisse ut de earum separatione tam subtiliter dissereret [6]. Quasi vero solis doctis notum fuerit non semper fuisse « alios medicos qui morbis, alios qui volneri- « bus, alios qui oculis mederentur [7] » et alia id genus ? Cur Cicero, qui tot Graecorum consuetudine usus est, numquam talia audire potuit ? Quodsi tandem probaretur eum, antequam se ad scribendum converteret, illa ignorasse, nihil amplius concluderetur nisi haec pauca quae docti viri promunt, e Graeco fonte manasse ; iis enim alia possunt opponi quae, cum Romana sint, Romanum scriptorem indicant. In ipsa enim illa parte tertii de Oratore libri quam Philoni vel Antiocho tribuunt, Crassus Scaevolam Metellumque Carneadis auditores fuisse memorat [8]; quos ipse philosophos noverit

1. Von Arnim, *Dio*, p. 99-100.
2. Cf. Clavel, *De M. T. Cicerone Graecorum interprete* ; W. Freund, *Cicero historicus*, p. 15-81.
3. Cf. Tyrrell-Purser, VII (index) (v. g., p. 10 : Aristarchus, Aristippus, Aristophanes the grammarian, Aristophanes the poet, Aristotle, Aristoxenus).
4. Von Arnim, *Dio*, p. 100 (De Or., 3, 15, 57).
5. Cf. Steele, *American Journal of Philology*, XXI, 1900, p. 394 ; Tyrrell, VII (*Index*), p. 48-49 ; Lange, *Quid cum de ingenio et litteris, tum de poetis Graecorum Cicero senserit*, p. 35-37.
6. Von Arnim, *Dio*, p. 100 (de Or., 3, 33, 132).
7. De Or., 3, 33, 132.
8. De Or., 3, 18, 68.

et quo tempore meminit [1]; se nondum perfectionem atque absolutionem eloquentiae consecutum fatetur [2]; maiorem aliquem futurum praedicit qui non modo perfectus orator exsistat [3], sed etiam dicendi praecepta melius quam ipsi Graeci tradat ac perpoliat [4]; cur ipse Latinos rhetores sustulerit aperit [5]; exempla vocabulorum Latinorum [6] versuumque e veteribus Romanis poetis sumptorum [7] affert; de S. Aelio, M'. Manilio, P. Crasso, Ti. Coruncanio, Scipione, Catone multa narrat [8]; Graecos denique, homines « abundantes otio [9] », leviter irridet. Quae omnia nemo dicet Ciceronem ab aliquo antiquo Latino scriptore mutuatum esse; cur illa pauciora a Graeco? Utraque potius, Graeca et Romana, iam antequam se ad libros de Oratore scribendos conferret, sermonibus lectionibusque didicerat : rebus iamdiu notis perspectisque ad explicandam suam de perfecto oratore sententiam libere usus est. Cum vero perfecti illius oratoris imaginem, sui ipsius simillimam pingeret, a nullo alio quam a se colores sumere poterat.

§ 4. — De ceteris oratoriis libris.

Hoc idem in Oratore magis manifestum est. Quamquam enim Cicero in summo oratore fingendo talem se informare qualis fortasse nemo fuerit [10], profitetur, tamen

1. De Or., 3, 20, 75.
2. De Or., 3, 20, 74.
3. De Or., 3, 21, 80.
4. De Or., 3, 24, 95.
5. De Or., 3, 24, 93-94.
6. De Or., 3, 26, 101.
7. De Or., 3, 26, 102.
8. De Or., 3, 33, 133-134.
9. De Or., 3, 31, 122; cf. 1, 6, 22; 3, 15, 57; Or., 30, 108.
10. Or., 2, 7.

facile est animadvertere toto libro defensionem Tullianae eloquentiae contineri. Non tam perfecti oratoris speciem adumbrare Cicero conatur quam Atticos profligare, aut saltem Bruto persuadere ut ab Atticis discedat, Tullianam eloquentiam pluris faciat [1]. Hoc ut efficeret, multis libris non indigebat ; enumerationem tamen luminum orationis [2] facile crediderim non sine ope alicuius libelli Graeci vel Latini conscriptam ; quae de numeris ut Bruto satisfaceret [3] fusius tradidit [4], magnam partem ab Isocrateis Peripateticisque mutuatus est. Cetera, ni fallor, omnia, etiam quae artis sunt, potuit sine libris scribere : quid enim ei libris opus erat ut tam pauca vulgataque de statibus [5], de collocatione [6], aliisque similibus proferret ? Quae vero ad praecepta artis non pertinent, non credo ex ullo libro hausta esse ; etiam quae de superioribus Latinis Graecisve scriptoribus rettulit memoriter ab eo prolata puto, quod illud de Aristophane Eupolique *μνημονικὸν ἁμάρτημα* [7] testari videtur.

Paucas De Optimo Genere oratorum pagellas Ciceroni eripere nemo, ut opinor, conatus est, ita manifestum est eas ab ipso, se ipsum defendente, esse conscriptas.

Neque Brutum vere Ciceronis opus esse quisquam negaverit. Etsi enim in hoc libro conscribendo variis adiumentis usus est, maxime Attici annali et superiorum

1. Cf. Schlittenbauer, *Die Tendenz von Ciceros Orator,* maxime, p. 183-184, 215-218, 226, 229-230, 237-238, 247.
2. Or., 39, 135-40, 139.
3. Or., 41, 140 ; 52, 174.
4. Or., 41, 140-71, 236. Illam de numeris disputationem, a Ciceronis opere primo alienam, postea ab ipso additam contendit Curcio, *Le opere retoriche,* p. 175-183. Eius argumenta refutavit Marchesi, *Atene e Roma,* VI, 1903, p. 191-192 ; 198-200.
5. Or., 35, 121.
6. Or., 35, 122.
7. Att., 12, 6, a 1 (= 12, 6, 3) ; cf. Or., 9, 29.

oratorum scriptis orationibus [1], suum tamen de hominibus et de eloquentia iudicium protulit. Neque possunt ea quae de arte dicendi interponuntur ex uno Graeco libro hausta esse, cum sint passim, occasione laudandorum vituperandorumve hominum, aspersa.

Maxime itaque mihi videntur errare si qui ad Ciceronis scripta rhetorica transferunt quae de quibusdam aliis operibus iocans confessus est : « Dices : « Qui talia « conscribis ? » ἀπόγραφα sunt, minore labore fiunt ; verba « tantum adfero, quibus abundo [2]. » Etenim etiam si verum esset quaedam eius scripta nihil esse nisi ἀπόγραφα, id certe de libris oratoriis non valeret. Nihil ipse confessus est nisi de iis philosophiae libris quos, post Tulliae mortem celerrime confecit ; rhetorica vero lente et accuratissime composuit [3]. Accedit quod de arte dicendi facilius erat scribere quam de philosophorum contentionibus spinosioribus, praesertim oratori qui de ea saepe cogitasset, et, cum de summa eloquentia ageret, suam defenderet. Quare recte Cicero suum se, non aliorum iudicium in Oratorem contulisse Leptae scribit : « *Oratorem* meum tanto opere a te probari « vehementer gaudeo. Mihi quidem sic persuadeo, me, « *quicquid habuerim iudicii* de dicendo, in illum li- « brum contulisse. Qui si est talis qualem tibi videri « scribis, ego quoque aliquid sum ; sin aliter, non « recuso, quin quantum de illo libro, tantundem de *mei* « *iudicii* fama detrahatur [4] ».

1. Cf. Naumann, *De fontibus et fide Bruti Ciceronis*, p. 1-27 ; J. Martha, *Brutus, introd.*, p. xi-xx.
2. Att., 12, 52, 3.
3. Att., 4, 13, 2.
4. Fam., 6, 18, 4.

§ 5. — Capita doctrinae Ciceronis propria.

Haec tamen omnia, quae non ad verbum e Graecis voluminibus expressa, sed a Cicerone cogitata contendimus, non idcirco nova probantur fuisse. Potuerunt enim ei scribenti permulta occurrere quae iamdudum in scholis rhetorum didicerat, a philosophis audierat, apud scriptores, Graecos praesertim, legerat. Potuit quoque, cum non integros libros in Latinum sermonem converteret, tamen variis operibus in scribendo uti, unde subtiliora artis praecepta sumeret. Et re quidem vera, in eius scriptis rhetoricis, paucae res sunt quae neque apud scriptores antiquiores reperiantur et ab ipso non modo cogitatae sed vere inventae et excogitatae esse videantur.

Nam praecepta artis, quae uberius in libris de Inventione quam in ceteris explicantur, confitetur fere omnia ex antiquioribus scriptoribus esse libata [1] ; ridiculorum partitiones in secundo de Oratore, Graecorum quoque esse significat [2] ; quae nova videbantur et inaudita plerisque, ea ipsa « pervetera [3] » erant : de ingenio et exercitatione arti praeponendis, de motibus animorum oratori pernoscendis, de communibus universi generis quaestionibus tractandis, de numeris non adstrictis, ut in poemate, sed remissioribus in oratione servandis. Itaque paucissima supersunt quae ab eo primum prolata dicantur ; non nulla tamen.

Ac primum dilectus quidam rerum ab eo factus est, quippe qui rationem oratoriam antiquorum cum recentiorum praeceptis misceret ac temperaret. Ipse enim,

1. Inv., 2, 2, 4 ; cf. 2, 3, 8.
2. Colliguntur *a Graecis* alia non nulla. De Or., 2, 71, 288.
3. Or., 3, 12.

artis praecepta non reiciens, ea, cum altioribus quibusdam regulis coniungere, conatus est [1]; ipse simul et de locis, partibus orationis, dicendi luminibus multa definite praecepit, et speciem egregiam oratoris perfecti e media — ut quidem putabat, — philosophia exprimere conatus est. Quare etiam si singula quae scripsit iam antea ab aliis essent scripta, tamen novum aliquid protulisset : collectionem illam et coniunctionem quae nullius ante eum fuisset.

Sed aliud quiddam est : quae enim aliunde sumit, ipse leviter immutata et conformata tradit. Ridiculorum partitiones e Graecis hausit ; sed quam necessariae essent oratori facetiae aut primus ostendit aut ceteris melius illustravit. Nec mirum : ea enim quibus singulariter excellebat perfecti oratoris esse propria iudicabat ; quantum vero facetiis praestaret nemo ignorabat [2] ; ipse minus quam ceteri.

Motus quoque animorum cum oratori pernoscendos dictitat, hoc addit : oratorem *maxime* permovendis hominibus valere id « unum oratoris maxume proprium « esse [3] ». Habebat enim adversarios, qui se Atticos dicebant, qui leni et aequabili oratione, tenui et angusto genere dicendi utebantur, animos permovere et inflammare aut non poterant aut nolebant. Ipse vero, cum maxime miserationibus, perorationibus iisque quibus homines vehementius commoventur, opus oratorium perficeret [4], in iis summam oratoris virtutem positam esse affirmabat.

1. Id Antiocho tribuit Kroll, *Neue Jahrbücher für das klassische Altertum*, VI, 1903, p. 686-689 ; *Rheinisches Museum, N. F.*, LVIII, 1903, p. 552-597 ; sed gratis, ut mihi quidem videtur.

2. Drumann, VI, p. 523 ; Gurlitt, *Rheinisches Museum*, LVII, 1902, p. 337.

3. Brut., 93, 322 ; cf. 80, 279 ; 54, 200 ; Or., 21, 69 ; 37, 128.

4. Drumann, VI, p. 638.

Item, cum Attici aures non tenerent, non modo a corona sed etiam ab advocatis desererentur [1], ipse vero attente et summo omnium plausu audiretur, commonet id ipsum veri oratoris proprium esse : populo placere [2]. Attici multitudinis iudicium parvi faciebant, solos intellegentes de oratore probando aut improbando iudicare posse contendebant ; Cicero demonstrat intellegentium iudicium cum multitudinis congruere [3]. Id non aliunde sumpsit sed ad suam defensionem excogitavit.

Haec tamen omnia minora ; jam veniendum est ad aliquid maius. Oratori multarum rerum scientiam necessariam esse Cicero affirmat ; quae disciplinae maxime necessariae sint saepe commemorat [4]. Philosophiam quidem in primis oratori colendam putat, sed ius quoque civile perdiscendum, historiam memoria tenendam, cetera quoque non neglegenda. Philosophiae necessitatem a Platone et Academia eum didicisse scimus [5] ; iuris vero, historiae, ceterarumque rerum commendatio ipsius esse propria videtur.

Contendit quidem vir doctissimus, von Arnim, hanc quasi discendi rationem a Philone excogitatam esse [6]. Sed id nullo argumento probatum est [7]. Neque quicquam tale Cicero ullo verbo significavit, cum tamen quid Philoni deberet minime celare conaretur [8] et auctoritates quam plurimas libenter afferret.

1. Brut., 84, 289.
2. Brut., 49, 183-54, 200.
3. Brut., *Ibid.*
4. Supra, p. 14.
5. Supra, p. 22-24.
6. *Dio*, p. 97-111.
7. Cf. H. Weil, *Etudes sur l'antiquité grecque*, p. 150-151 ; Curcio, *Le opere retoriche*, p. 119-122.
8. Brut., 89, 306 ; Tusc., 2, 3, 9 ; Nat. Deor., 1, 3, 6 ; De Or., 3, 28, 110.

Maxime vero Ciceronem haec excogitasse inde videtur manifestum quod ut in ceteris, sic quoque in his perfecti oratoris imaginem ad suae ipsius eloquentiae normam redigit[1]. Quae enim oratori commendat eadem ipse didicerat[2]. Philosophiam, ius, historiam, cetera, quae in libris de Oratore cognoscenda monet, se didicisse in Bruto narrat. Immo earum rerum scientia se praestitisse ceteris et clarum evasisse non celat :

Nam cum propter adsiduitatem in causis et industriam, tum propter exquisitius et minime volgare orationis genus animos hominum ad me dicendi novitate converteram. *Nihil de me dicam : dicam de ceteris,* quorum nemo erat qui videretur exquisitius quam volgus hominum studuisse *litteris,* quibus fons perfectae eloquentiae continetur, nemo qui *philosophiam* complexus esset, matrem omnium bene factorum beneque dictorum, nemo qui *ius civile* didicisset, rem ad privatas causas et ad oratoris prudentiam maxume necessariam, nemo qui *memoriam rerum Romanarum* teneret, ex qua, si quando opus esset, ab inferis locupletissimos testes excitaret... Brut., 93, 321-322.

Igitur conquisitis omnibus, quaecumque ad Ciceronis de arte rhetorica placita pertinerent, non multa ipsius propria colligere potui. Errare tamen eos arbitror qui nihil omnino ipsius esse contendunt. Maxime, ut mihi videtur, illi absunt a vero qui quaedam eius opera rhetorica tota e Graecis voluminibus ad verbum expressa censent. Sed neque iis adsentior qui ab eo nihil novum prolatum dicunt. Nam, praeter ipsam orationem scribendique elegantiam — quam ei eripere certe fas non est, — ipsius quoque proprius est rerum dilectus et species eloquentiae ex variis quasi elementis antiquis con-

1. Cf. Nixon, *Proceedings of the Cambridge philological society,* X, 1885, p. 8 ; cf. F. Müller, *Brutus eine Selbstvertheidigung des M. Tullius Cicero,* p. 9-10.

2. Boissier, *Journal des Savants,* 1899, p. 470-471 ; Courbaud, *De Oratore,* p. xv.

flata sed tamen nova ; ipsius quoque momentum tantum in facetiis et permovendo positum, ipsius regula veri oratoris ex multitudinis iudicio dignoscendi ; ipsius denique ratio disciplinarum oratori discendarum. In ceteris, quorum pleraque aliunde sumpsit, etsi quid ipsius fuerit diiudicare plerumque non possumus, tamen quaedam ab eo leviter immutata et correcta suspicamur : quod ipse his verbis insinuavit Catuli Antonio gratulantis [1] : « Nec enim te ista attigisse arbitrabar, quae dili- « gentissime cognosse et *undique collegisse* usuque « doctum, *partim convexisse video*, partim compro- « basse [2] ».

1. Haec Catulus, in secundo de Oratore libro, Antonio ait, postquam is totam de inventione et dispositione doctrinam exposuit.
2. De Or., 2, 89, 362.

CAPUT V

Quatenus Cicero de praeceptis dicendi sententiam mutaverit

Ut indolem, sic quoque mentem Ciceronis mobilem fuisse, ne illi quidem negant qui eum maxime laudare solent. Itaque mirum esset si de arte dicendi semper eadem quasi effata pronuntiasset. Neque ipse contendit se in eadem sententia mansisse, sed in Oratore ad Brutum haec scripsit : « Habes *meum de Oratore*, « Brute, *iudicium ;* quod aut sequere, si probaveris, « aut tuo stabis, si aliud quoddam est tuum. In quo « neque pugnabo tecum neque hoc meum de quo tanto« pere hoc libro asseveravi, umquam affirmabo esse « verius quam tuum. *Potest* enim non solum aliud mihi « ac tibi, sed etiam *mihimet ipsi aliud alias videri* [1] ».

Sane non omnes quasi motus opinionum eius ex scriptis quae reliquit aspicere licet. Sunt quidem libri rhetorici ab adulescentulo conscripti ; libri de Oratore, cum esset quinquaginta duos annos natus ; Partitiones paulo postea ; Brutus, Orator, De Optimo Genere oratorum, Topica fere ultimis eius vitae temporibus. Inde quasdam eius varias opiniones invenimus. Sed quid iis annis, qui interiecti sunt inter haec scripta, Cicero senserit, non possumus, nisi ex iis paucis quae de arte dicendi in aliis

1. Or., 71, 237.

scriptis enuntiavit, diiudicare. Praeterea libris de Inventione una tantum ex quinque rhetoricae partibus tractatur; de ceteris quattuor quid Cicero adulescens senserit potius suspicamur quam scimus.

Cum tamen ex Ciceronis libris non nulla colligere possimus, non inutile visum est ea conferre quibus Tullianae rhetoricae progressus illustraretur [1].

Sed antequam quaeramus quid in ea procedentibus annis immutatum sit, animadvertendum est quaedam semper eadem mansisse. Numquam Cicero artem artisque praecepta plane reiecit [2]; ab ineunte aetate ad ultimos vitae annos persuasum habuit doctrinam de *statibus* oratori non ignorandam esse [3], locis quasi sedibus argumentorum mentem adiuvari, eumque qui locos nosset facilius posse « esse in disputando suum [4] » ; orationum varias partes esse distinguendas quarum singulae diversis praeceptis regerentur [5]. De elocutione, memoria, actione, cum Cicero adulescens nihil scripserit, quae praecepta singula admiserit scire non possumus; non tamen dubium est quin ea quae de his eloquentiae partibus a rhetoribus tradebantur avide tum arripuerit [6].

1. Pauca ac disiecta de ea quaestione invenias, nisi quod G. Heinicke, « *De Ciceronis doctrina quae pertinet ad materiam « artis rhetoricae et ad inventionem* » diligenter disputavit. Cf. quoque Bauerschmidt, *Ergebnisse einer Vergleichung zwischen Ciceros Schriften de Oratore und Orator;* Merchant, *De Ciceronis Partitionibus oratoriis*, p. 73-74.

2. Supra, cap. I.

3. Inv., 1, 8, 10-12, 16; de Or., 2, 24, 104; 2, 26, 113; Part. or., 9, 33 ; Or., 14, 45; Top., 24, 92; Tusc., 3, 33, 79.

4. Fin., 4, 4, 10; cf. Inv., 2, 4, 12-59, 178; de Or., 2, 29, 163-40, 173; Part. or., 2, 5-3, 8; 9, 33-14, 51 ; 21, 70-39, 138 ; Or., 14, 44-15, 49 ; Top., 2, 7-20, 78.

5. Inv., 1, 14, 19-56, 109 ; de Or., 2, 76, 307-81, 332 ; Part. or., 8, 27-17, 60 ; Or., 15, 50; 35, 122 ; Top., 26, 97-99.

6. Divisionem quinque partium rhetoricae quae tunc distinguebantur, in libris de Inventione (1, 7, 9) tradidit; primam solam tractavit, cum opus inchoatum reliquerit.

Quae vero mutata sunt, ea ad duplex genus referuntur : ad artis praecepta et ad latiores quasdam de dicendo sententias. Primum ea quae pertinent ad artis praecepta videamus.

§ 1. — Θέσεις

Infinitas sine tempore et loco quaestiones quae θέσεις vocabantur Cicero primum ab oratoris materia seiunxerat Hermagoramque reprehenderat quod eas oratori attribuisset.

Nam Hermagoras quidem nec quid dicat attendere nec quid polliceatur intellegere videtur, qui oratoris materiam in causam et in quaestionem dividat, causam esse dicat rem, quae habeat in se controversiam in dicendo positam cum personarum certarum interpositione ; quam nos quoque oratori dicimus esse attributam ; quaestionem autem eam appellet, quae habeat in se controversiam in dicendo positam sine certarum personarum interpositione, ad hunc modum : « ecquid sit bonum praeter honestatem ? » « verine sint sensus ? » « quae sit mundi forma ? » « quae sit solis magnitudo ? » *Quas quaestiones procul ab oratoris officio remotas* facile omnes intellegere existimamus. Inv., 1, 6, 8.

Postea autem, et « antiquorum » rationem et Academicorum secutus, eas maxime oratoris proprias iudicavit, in iis se exercuit, iis maxime exornari orationem putavit. Quando sententiam de ea re mutaverit pro certo definire non possumus ; libenter crediderim, iam eo anno quo Philoni dedit operam [1] ; non tamen constat nisi de tempore quo libros de Oratore scripsit ; tum enim certe communes quaestiones commendavit nec eas postea magni facere destitit.

1. Brut., 89, 306.

Ornatissimae sunt igitur orationes eae quae latissume vagantur et a privata et a singulari controversia se ad universi generis vim explicandam conferunt et convertunt... De Or., 3, 30, 120; cf. 2, 31, 133-134; 2, 32, 140.

(Nemo erat)... qui dilatare posset atque a propria ac definita disputatione hominis ac temporis ad *communem quaestionem universi generis* oratorem traducere. Brut., 93, 322.

Hic excellens (orator) a *propriis personis et temporibus* semper, si *potest, avocat controversiam ;* latius enim de genere quam de parte disceptare licet, ut quod in universo sit probatum id in parte sit probari necesse ; — haec igitur quaestio a propriis personis et temporibus ad universi generis orationem traducta appellatur θέσις. Or., 14, 45-46 ; cf. 36, 125-126 ; Top., 21, 79.

Ne me totum aegritudini dedam, sumpsi mihi quasdam tamquam θέσεις quae et πολιτικαὶ sunt et temporum horum, ut et abducam animum ab querelis et in eo ipso, de quo agitur, exercear. Eae sunt huius modi : Εἰ μενετέον ἐν τῇ πατρίδι, τυραννουμένης αὐτῆς... *In his ego me* consultationibus *exercens* et disserens in utramque partem tum Graece, tum Latine, et abduco parumper animum a molestiis et τῶν προὔργου τι delibero. Att., 9, 4 ; cf. 9, 9, 1 ; ad Quint., 3, 3, 4 (supra, p. 17) ; Quintil., 10, 5, 11.

Degustabis genus *exercitationum earum,* quibus uti consuevi, cum ea, quae dicuntur in scholis θετικῶς (al. θετικά), ad nostrum hoc oratorium transfero dicendi genus. Parad. Prooem., 5.

Itaque recte Quintilianus ait :

(Hermagoras) de hac arte mirabiliter multa composuit, cum, sicut ex Ciceronis quoque rhetorico primo manifestum est, materiam rhetorices in thesis et causas diviserit. Quod reprehendit Cicero, ac thesin nihil ad oratorem pertinere contendit totumque hoc genus quaestionis ad philosophos refert. Sed me liberavit respondendi verecundia, et quod ipse hos libros improbat, et quod in Oratore atque in his quos de Oratore scripsit, et Topicis, praecipit, ut a propriis personis atque temporibus avocemus controversiam, « quia « latius dicere liceat de genere quam de specie, et quod in « universo probatum sit, in parte probatum esse necesse « sit ». Quintil., 3, 5, 14-15.

§ 2. — Status et controversiae.

Contendit vir doctissimus Ae. Thomas Ciceronem post scriptos de Inventione libros in nullo iam opere rhetorico de constitutionibus verba fecisse [1]. Quam sententiam cur ego non teneam ex iis Quintiliani Tullique ipsius locis apparebit quos mox afferam quibusque diversas rationes statuum illustrare conabor [2]. Animadvertit Quintilianus Ciceronem in Oratore tribus statibus (vel constitutionibus) usum esse, cum in libris de Inventione quattuor posuisset.

A plurimis tres sunt facti generales status, quibus et Cicero in Oratore utitur, et omnia, quae aut in controversiam aut in contentionem veniant, contineri putat, *Sitne? quid sit? quale sit?* quorum nomina apertiora sunt quam ut dicenda sint... Quintil., 3, 6, 44.

Posuerat et Cicero, in libris rhetoricis, *facti*, *nominis, generis, actionis;* ut in facto coniectura, in nomine finitio, in genere qualitas, in actione ius intelligeretur. Quintil., 3, 6, 50.

Omnis res, quae habet in se positam in dictione ac disceptatione aliquam controversiam, aut *facti* aut *nominis* aut *generis* aut *actionis* continet quaestionem. Inv., 1, 8, 10.

Quoniam quicquid est quod in controversia aut in contentione versetur, in eo aut *sitne,* aut *quid sit,* aut *quale sit,* quaeritur : — sitne signis; quid sit definitionibus ; quale sit recti pravique partibus. Or., 14, 45 ; cf. 34, 121.

Addere poterat Quintilianus eosdem tres status, qui in Oratore distinguuntur, et in libris de Oratore et in Partitionibus et in Topicis esse usurpatos.

1. « Passe pour la division ou mieux le tableau des causes « *(constitutiones)* au premier livre. Maîtres et élèves croyaient « sans doute indispensable de le bien connaître ; en fait, Cicéron « s'est bien gardé d'en rien dire dans ses autres traités » (*Morceaux choisis,....* p. 82).

2. Vide quoque de iis locis adnotationes quae insunt editionibus Piderit, Wilkins, Sandys, etc. ; Sapienza, p. 43-44 ; 43, n. 3.

Ac primum naturam causae videat, quae numquam latet, factumne sit quaeratur, an *quale* sit, an *quod nomen* habeat. De Or., 2, 30, 132 ; cf. 2, 24, 104 ; 2, 26, 113.

Quoniam igitur omne, quod in controversiam venit, id aut *sit necne sit* aut *quid* sit aut *quale* sit quaeritur, in primo coniectura valet, in altero definitio, in tertio ratio. Part. Or., 9, 33 ; cf. 29, 101-31, 108.

Defensor aliquid opponat de tribus : aut *non esse factum* aut, si sit factum, aliud eius facti *nomen* esse aut *iure* esse factum. Itaque aut infitialis, aut coniecturalis prima appelletur, definitiva altera, tertia, quamvis molestum nomen hoc sit, iuridicialis vocetur. Top., 24, 92.

Ex quibus concludi potest Ciceronem primo quattuor status numerandos putasse, postea quartum constanter reiecisse.

A statibus, controversias scripti adulescens segregaverat, Hermagoram secutus [1] ; eas postea statui qualitatis plerumque subiunxit ; non tamen secum ipse in posterioribus scriptis semper constitit, neque videtur de istis magno opere curasse. Numerum controversiarum non semper eumdem statuit ; quinque earum genera in libris de Inventione posuerat ; postea tria tantum numeravit eaque modo ad ambiguum et contrarium, modo ad solum ambiguum dixit esse referenda.

Scripti controversia est ea quae ex scriptionis genere nascitur. Eius autem genera *quae separata sunt a constitutionibus,* quinque sunt... Primum genus de scripto et sententia, secundum ex contrariis legibus, tertium ambiguum, quartum ratiocinativum, quintum definitivum nominamus. Inv., 1, 12-13, 17.

Iterum autem *peccant, quom genus hoc causarum, quod in scripti interpretatione versatur,* ab illis causis, in quibus qualis quaeque res sit disceptatur, *seiungunt.* Nusquam enim tam quaeritur quale sit genus ipsum rei quam in scripto, quod totum a facti controversia separatum est. De Or., 2, 26, 112.

1. Supra, p. 44.

... Existere autem controversias etiam ex scripti interpretatione, in quo aut *ambigue* quid sit scriptum aut *contrarie,* aut *ita, ut a sententia scriptura dissentiat.* De Or., 1, 31, 140.

Existit etiam ex scripti interpretatione saepe contentio, in quo *nulla* potest esse *nisi ex ambiguo* controversia. Nam illud ipsum, quod scriptum a sententia discrepat, genus quoddam habet ambigui... ex contrariisque scriptis si quid ambigitur, non novom genus nascitur, sed superioris generis causa duplicatur. De Or., 2, 26, 110.

... Disceptatio ex scripti contentione existit, ut in *ambiguis* disceptetur quid maxime significetur, in *scripti sententiaeque* contentione utrum potius iudex sequatur, in *contrariis scriptis* utrum magis comprobandum sit. Part. or., 31, 108.

Ista sunt *tria* genera quae controversiam in omni scripto facere possint : ambiguum, discrepantia scripti et voluntatis, scripta contraria. Top., 25, 96.

Erit enim ei perspectum nihil ambigi posse, in quo non aut res controversiam faciat aut verba : res aut de vero aut de recto aut de nomine, verba aut de *ambiguo* aut de *contrario.* Nam si quando aliud in sententia videtur esse, aliud in verbis, genus est quoddam ambigui. Or., 34, 121.

Non nullas alias ex subtilissimis partitionibus definitionibusque quas Graeci excogitaverant, Cicero aliter alio tempore tradidit, sive ipse discendo profecit, sive ista, quae minora iudicabat, non magna cura e variis rationibus arripere solebat [1]. Commemorare satis erit ea quae Quintilianus de *statu negotiali* et de *continentibus firmamentoque* animadvertit.

Nec me fallit, in primo Ciceronis rhetorico aliam esse loci negotialis interpretationem, cum ita scriptum sit : « Negotialis est in qua quid iuris ex civili more et aequitate « sit, consideratur; cui diligentiae praeesse apud nos iuris- « consulti existimantur [2]. » Sed quod ipsius de his libris

1. Cf. quoque supra, p. 46-47. Non nulla alia notavit Heinicke, praesertim, p. 23, 52, 101-103.

2. Inv., 1, 11, 14.

iudicium fuerit supra dixi [1]... Sed Cicero quidem his pulcherrimos illos de Oratore substituit, ideoque culpari, tamquam falsa praecipiat, non potest. Quintil., 3, 6, 58-60.

Paulum in his secum etiam Cicero dissentit. Nam in Rhetoricis (quem ad modum supra dixi), Hermagoran est secutus ; in Topicis ex statu effectam contentionem κρινόμενον existimat ; idque Trebatio, qui iuris erat consultus alludens « qua de re agitur » appellat ; quibus id contineatur, « conti- « nentia, quasi firmamenta defensionis, quibus sublatis « defensio nulla sit [2] » ; at in Partitionibus [3] oratoriis « firma- « mentum » quod opponitur defensioni, quia « continens », quod primum sit ab accusatore dicatur, « ratio » a reo, ex rationis et firmamenti quaestione « disceptatio » sit « iudi- « cationum ». Quintil., 3, 11, 18-19.

Talia de quibus inter artis scriptores acerrima contentio erat, Cicero ita neglegenter tractabat ut in libris de Oratore, cum alia a Crasso, alia ab Antonio divisio adhibita esset, ipsum Crassum fecerit haec pronuntiantem :

NIHIL SANE AD REM PERTINET, *si qua in re discrepavit ab Antoni divisione nostra partitio.* Eadem sunt membra in utriusque disputatione, sed paulo secus a me atque ab illo partita ac tributa. De Or., 3, 30, 119.

§ 3. — **Orationum partes.**

Non multo plus Ciceronis intererat utrum quattuor in singulis orationibus partes an quinque, an sex, an etiam septem distinguerentur, modo in dispositione praecepta maxime necessaria de exordio, narratione, confirmatione, peroratione servarentur. Itaque in numerandis orationum partibus non modo libri de Inventione a posterioribus, sed posteriores inter se discrepant.

Eae partes *sex esse omnino* nobis videntur : *exordium,*

1. Quintil., 2, 15, 5-6 ; 3, 1, 20 ; cf. de Or., 1, 2, 5.
2. Top., 25, 95.
3. Part. Or., 29, 103.

narratio, partitio, confirmatio, reprehensio, conclusio. Inv., 1, 14, 19.

Etiam illa cognoram et acceperam, ante quam de re diceremus, initio *conciliandos* eorum esse animos, qui audirent; deinde rem *demonstrandam;* postea controversiam *constituendam,* tum id quod nos intenderemus *confirmandum;* post, quae contra dicerentur *refellenda; extrema autem oratione* ea quae pro nobis essent, amplificanda et augenda, quaeque essent pro adversariis, infirmanda atque frangenda. De Or., 1, 31, 143.

Atque haec ego non reprehendo, sed ante oculos posita esse dico, ut eas item QUATTUOR, QUINQUE SEXVE PARTIS, VEL ETIAM SEPTEM — quoniam aliter ab aliis digeruntur — in quas est ab iis omnis oratio distributa. De Or., 2, 19, 79.

Principia autem dicendi... De Or., 2, 78, 315... *Narrare* vero... De Or., 2, 80, 326. Sequitur, ut *causa ponatur*, in quo videndum est quid in controversiam veniat. Tum suggerenda sunt firmamenta causae *coniuncte et infirmandis contrariis et tuis confirmandis...* Quia neque reprehendi quae contra dicuntur possunt, nisi tua confirmes, neque haec confirmari, nisi illa reprehendas, idcirco haec et natura et utilitate et tractatione coniuncta sunt. De Or., 2, 81. 331. Omnia autem *concludenda* plerumque rebus augendis... De Or., 2, 81, 332.

Quid? orationis quot sunt partes? — *Quattuor.* Earum duae valent ad rem docendam, narratio et confirmatio; ad impellendos animos duae, principium et peroratio. Part. or., 1, 4 ; cf., 8, 27.

Quid enim iam sequitur, quod quidem artis sit, nisi *ordiri* orationem, in quo aut concilietur auditor, aut erigatur, aut paret se ad discendum ; rem breviter *exponere* et probabiliter et aperte, ut quid agatur intellegi possit; sua *confirmare, adversaria evertere,* eaque efficere *non perturbate,* sed singulis argumentationibus ita concludendis, ut efficiatur quod sit consequens iis quae sumentur ad quamque rem confirmandam ; post omnia perorationem inflammantem restinguentemve concludere? Or., 35, 122; cf., 15, 50. Non solum perpetuae actiones, sed etiam partes orationis isdem locis adiuvantur, partim propriis, partim communibus : ut in *principiis,* quibus ut benivoli, ut dociles, ut attenti sint qui audiant efficiendumst propriis locis; itemque *narrationes* ut ad suos fines spectent... Quae autem sequitur narrationem *fides,* ea persuadendo quoniam efficitur,

qui ad persuadendum loci maxume valeant dictum est in iis in quibus de omni ratione dicendi. *Peroratio* autem et alia quaedam habet... Top., 26, 97-98.

De praecipuis tamen orationis partibus semper quaedam praecepta putavit esse danda ; quamquam in secundo de Oratore libro non nulla quae ipse et ante dixerat et postea iterum traditurus erat, visus est contemnere, Aristotelis [1] ut videtur auctoritate permotus.

Attentum monent Graeci ut principio faciamus iudicem et docilem ; quae sunt utilia sed non principii magis propria quam reliquarum partium; faciliora etiam in principiis, quod et attenti tum maxime sunt, quom omnia expectant, et dociles magis in initiis esse possunt. De Or., 2, 79, 323 ; cf. Inv., 1, 15, 20 ; Part. or., 8, 28-30 ; Or., 35, 122 ; Top., 26, 97.

Narrare vero quod breviter iubent, si brevitas appellanda est, quom verbum nullum redundat, brevis est L. Crassi oratio ; sin tum est brevitas, quom tantum verborum est, quantum necesse est, aliquando id opus est ; sed saepe obest vel maxime in narrando... Apertam narrationem tam esse oportet quam cetera... De Or., 2, 80, 326-329 ; cf. Inv., 1, 20, 28 ; Part. or., 9, 31-32 ; Or., 35, 122 ; Top., 26, 97.

§ 4. — Loci.

Ex omnibus doctrinae discrepantiis quae, in Ciceronis scriptis, de inventione et dispositione [2] reperiuntur, una est quam ipse alicuius momenti putarit : in libris de Inventione locos ad singula causarum genera accommodatos Hermagoreo more tradidit ; postea vero eam rationem ad instituendos adulescentes aptam sed magno

1. Supra, p. 37.
2. Quae de communibus quaestionibus (quae θέσεις vocabantur) supra (p.15-17, etc.) notavimus potius ad materiam artis quam ad ipsam inventionem pertinent ; quamquam materia artis non semper ab inventione distinguebatur.

oratore indignam iudicavit, alia topica ex quibus, ut ex Aristotelis topicis omnis ad omnem causam disputatio sumeretur, anteposuit. Cum enim orationem quam saepissime ad communem universi generis quaestionem traducendam putaret, locis ad definitas quaestiones accommodatis contentus esse non poterat.

Sed de his iam ante disputavimus [1].

§ 5. — Rhetorica de elocutione doctrina.

De elocutione nihil Cicero adulescens conscripsit; paucissima in Partitionibus, plura in tertio de Oratore ac praesertim in Oratore; sed tamen in his duobus operibus non tam artis praecepta dedit quam de oratione disputavit. Discrimina igitur non multa notanda sunt.

Divisionem elocutionis a rhetoribus adhiberi solitam in libris de Oratore usurpavit, cum scripsit « Quinam « igitur dicendi est modus melior... quam ut Latine, ut « plane, ut ornate, ut ad id quocumque agetur apte con- « gruenterque dicamus [2] ». Quae deinde disputavit ad illa quattuor rettulit [3]. Longe aliter in Oratore : ibi enim vix huius quadripertitae partitionis vestigium aliquod reperitur [4].

Lumina orationis quae apud artis scriptores magnum locum tenebant [5], in utroque opere enumeravit [6]; sed in Oratore brevius, sive alio fonte usus est, sive quaedam

1. Supra, p. 15-16, 35-36.
2. De Or., 3, 10, 37 ; cf., 1, 32, 144.
3. De Or., 3, 14, 52; 3, 52, 199 ; 3, 55, 210.
4. Or., 24, 79.
5. Cf. ad Her., 4, 13, 18-55, 69.
6. De Or., 3, 53, 202-54, 208 ; Or., 39, 135-40, 139. Qui loci saepe inter se collati sunt : cf. Bauerschmidt, p. 39-43 ; Linderbauer, *De verborum mutuatorum et peregrinorum apud Ciceronem usu et compensatione*, II, p. 20-25 ; Causeret, p. 183-198.

quae ante admiserat inter lumina orationis non esse recensenda perspexit. Consulto id factum esse Quintilianus censet.

M. Tullius multas (figuras) in tertio de Oratore libro posuit, quas in Oratore postea scripto transeundo videtur ipse damnasse ; quarum pars est quae sententiarum potius quam verborum sit, ut imminutio, improvisum, imago, sibi ipsi responsio, digressio, permissio, contrarium (hoc enim puto quod dicitur ἐναντιότης) sumpta ex adverso probatio. Quaedam omnino non sunt figurae, sicut ordo, dinumeratio, circumscriptio, sive hoc nomine significatur comprehensa breviter sententia, sive finitio. Quintil., 9, 3, 90-91.

De *numeris* quid Cicero adulescens senserit difficile est iudicare, cum nihil tum de elocutione scripserit. Diligenter tamen inspicienti prima eius scripta, manifestum est illum tunc non tam accurate numerosam orationem sectatum esse quam postea, non tamen omnino eam neglexisse [1]. Cum de ea re scribere coepit, iamdiu clausulas ab Asianis [2] usurpari solitas ipse quoque fere solas adhibere coeperat. Non tamen multa praecepta de numeris in tertio de Oratore libro tradidit. Plura vero in Oratore, quamquam doctrinam suam potius amplificavit quam emendavit. In utroque opere docuit numerum quemdam in oratione sed eum remissiorem quam in carminibus servari oportere [3]; quibus tamen quasi par-

1. De Tullianis numeris, his temporibus, permulti scripserunt, ex quibus hos praecipue nominandos censeo : Wüst, *De clausula rhetorica quae praecepit Cicero quatenus in orationibus secutus sit ;* E. Müller, *De numero Ciceroniano ;* Norden, *Die antike Kunstprosa*, p. 930-939 ; Bornecque, *La prose métrique dans la correspondance de Cicéron ;* Wolff, *De clausulis Ciceronianis ;* Zielinski, *Das Clauselgesetz in Ciceros Reden ;* L. Havet, article « *Prose métrique* », dans *La Grande Encyclopédie*, XXVII, p. 804. Nos quoque aliquantulum superioribus addere conati sumus in altera thesi, *Etude sur le style des discours de Cicéron*, p. 143-278, 289-294, 313, 339-340, etc.

2. Supra, p. 48.

3. De Or., 3, 48, 184; Or., 57, 195-196 ; cf., 56, 187.

tibus hi numeri constituantur enodatius in Oratore explicat [1]. De clausulis unam tantum sententiolam subobscuram in tertio de Oratore scripserat; plura vero in Oratore praecepta tradit.

Duo enim aut tres fere sunt extremi servandi et notandi pedes, si modo non breviora et praecisa erunt superiora, quos aut *chorios* aut *heroos* aut *alternos* esse oportebit, aut in *paeane* illo posteriore, quem Aristoteles probat, aut ei pari *cretico* [2]. De Or., 3, 50, 193.

Insistit autem ambitus modis pluribus, e quibus unum est secuta Asia maxime, qui *dichoreus* vocatur, cum duo extremi chorei sunt, id est e singulis longis et brevibus... Cadit autem per se ille ipse praeclare, quo etiam satietas formidanda est magis... Sed sunt clausulae plures, quae numerose et iucunde cadant. Nam et *creticus,* qui est e longa et brevi et longa, et eius aequalis *paean,* qui spatio par est, syllaba longior, quam commodissime putatur in solutam orationem inligari, cum sit duplex... Ne *spondius* quidem funditus est repudiandus... Ne *iambus* quidem qui est e brevi et longa, aut par choreo qui habet tris breves *trochaeus* sed spatio par, non syllabis, aut etiam *dactylus* [3], qui est e longa et duabus brevibus, si est proximus a postremo, parum volubiliter pervenit ad extremum, si est extremus choreus aut spondius... *Dochmius* autem e quinque syllabis, brevi, duabus longis, brevi, longa, ut est hoc « Amicos tenes », quovis loco aptus est, dum semel ponatur : iteratus aut continuatus numerum apertum et nimis insignem facit. Or., 63, 212-213 ; 64, 215-218.

§ 6. — Memoria. Actio.

De memoria et actione nihil occurrit unde Ciceronis sententiam aliquando esse mutatam putemus. Memoriam

1. Or., 41, 140; 71, 236.

2. Ita codices. Num quid emendandum sit diiudicare non audeo. Vir doctissimus, C. Wilkins, postquam de hoc loco disputavit, his verbis concludit : « The construction remains obscure, and it seems probable that something is lost » (*De Oratore,* p. 515).

3. De dactylo maxime inter se pugnant quae Cicero in tertio *de Oratore* et in *Oratore* docuit; quae tamen conciliare conatus est Vossius (*Commentariorum rhetoricorum,* II, p. 438).

semper oratori maxime necessariam et diligenter colendam putavit [1]; sed de ea, in libris de Oratore [2] pauca, in Oratore [3] nulla praecepta dedit. Actioni Demosthenem recte et primas et secundas et tertias tribuisse ipse ter affirmavit [4]; sed de hac quinta rhetoricae parte breviter ipse praecepit; eademque fere quae in tertio de Oratore [5] exposuerat in Oratore [6] contraxit. In Partitionibus [7] autem, de memoria et actione paucissima reperiuntur, eaque cum ceteris eius scriptis plane congruunt.

§. 7. — Eruditio. Quo tempore Cicero coeperit eam necessariam dicere.

Sed est aliud quiddam in Ciceronis rhetoricis scriptis, praeter illa quae de inventione, dispositione, elocutione, memoria, actione, post innumeros rhetores, praecepit. Latiorem enim quamdam et perfectiorem eloquentiae formam descripsit; in eaque adumbranda maxime progressus eius agnoscitur. Cum libros de Inventione scripsit, omnia praeceptis artis tribuebat; innumeras partitiones argumentorum, innumeras de singulis orationum partibus regulas dicendi enumerabat; quindecim indignationis locos, sedecim conquestionis diligentissime persequebatur, conabaturque nihil e tam pretiosa supellectili praetermittere. His minutiori-

1. Part. or., 7, 26; De Or., 1, 5, 18; 2, 85, 350-88, 360; Brut., 60, 217-61, 219; 63, 227; 76, 265; 88, 301; Ac., 2, 1, 2; Cat. mai., 7, 21-22; 11, 38.
2. De Or., 2, 85, 350-88, 360.
3. « De memoria nihil est hoc loco dicendum, quae communis est multarum artium ». Or., 17, 54.
4. De Or., 3, 56, 213; Brut., 38, 142; Or., 17, 56.
5. De Or., 3, 56, 213-61, 227.
6. Or., 17, 54-18, 60.
7. Part. or., 7, 25-26.

bus totam dicendi artem contineri persuasum habebat nec quicquam aliud requiri, quantum eius scripta declarant, suspicabatur. Postea vero artis praecepta non quidem reiecit sed minime sufficere intellexit nisi esset in oratore ingenium, exercitatio, maxime rerum multarum scientia. Neque eo solum tempore quo libros de Oratore scripsit, ita sentire coepit, sed iamdiu id ei persuasum fuisse ex quibusdam indiciis suspicamur.

Jam in Divinatione, cum Caecilium accusando Verri imparem demonstrat, etsi multa e volgari rhetorum disciplina depromit in eloquentiae munere describendo, tamen ea liberiore quodam modo effert, oratorique praeter ipsam rhetoricam, praeter ingenium et exercitationem, multas quoque litteras necessarias esse significat :

Quid ? illa, Caecili, contemnendane tibi videntur esse, sine quibus causa sustineri, praesertim tanta, nullo modo potest? aliqua facultas *agendi,* aliqua dicendi consuetudo, aliqua in foro, iudiciis, legibus, aut *ratio,* aut *exercitatio ?*... Putasne te posse de maximis acerbissimisque rebus cum causam sociorum fortunasque provinciae, ius populi Romani, gravitatem iudicii legumque susceperis, tot res, tam graves, tam varias, *voce, memoria, consilio, ingenio* sustinere? putasne te posse, quae C. Verres in quaestura, quae in legatione, quae in praetura, quae Romae, quae in Italia, quae in Achaia, Asia, Pamphyliaque peccarit, ea, quem ad modum locis temporibusque diversa sint, sic criminibus et oratione *distinguere ?* putasne te posse, *id quod* in huius modi reo *maxime necessarium est,* facere, ut quae ille libidinose, quae nefarie, quae crudeliter fecerit, *ea aeque acerba et indigna videantur esse his, qui audient* atque illis visa sunt, qui senserunt ? Magna sunt ea quae dico, mihi crede; noli haec contemnere: dicenda, demonstranda, explicanda sunt omnia ; causa non solum exponenda, sed etiam *graviter copioseque agenda est ;* perficiendum est, si quid agere aut proficere vis, *ut homines* te non solum audiant, verum etiam *libenter studioseque audiant.* In quo si te multum *natura* adiuvaret, SI OPTIMIS a pueritia DISCIPLINIS ATQUE ARTIBUS STUDUISSES, ET IN HIS ELABORASSES, SI

LITTERAS GRAECAS ATHENIS non Libybaei, LATINAS Romae, non in Sicilia didicisses, tamen esset magnum tantam causam, tam expectatam, et diligentia consequi et *memoria* complecti et *oratione* expromere et *voce* ac viribus sustinere. Div. Caec., 11, 35; 12, 37-39; cf. 12, 40-14, 47.

In oratione pro Archia, postquam ingenium, exercitationem, « rationem » quoque aliquam in oratore requiri commemoravit [1], doctrina et litteris eloquentiam ali puchris verbis demonstrat :

An tu existimas aut *suppetere nobis posse, quod* cotidie *dicamus* in tanta varietate rerum *nisi animos* nostros DOCTRINA *excolamus,* aut ferre animos tantam posse contentionem nisi eos doctrina eadem relaxemus ? Ego vero fateor me his studiis esse deditum. Ceteros pudeat, si qui ita se litteris abdiderunt, ut nihil possint ex iis neque ad communem adferre fructum neque in aspectum lucemque proferre ; me autem quid pudeat, qui tot annos ita vivo, iudices, ut a nullius umquam me tempore aut commodo, aut otium meum abtraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique somnus retardarit ? Quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi iure succenseat, si quantum ceteris ad suas res obeundas... conceditur temporum,.. tantum mihi egomet ad haec studi recolenda sumpsero ? Atque hoc eo mihi concedendum est magis, quod EX HIS STUDIIS HAEC QUOQUE CRESCIT ORATIO ET FACULTAS [2] quae quantacumque in me est, numquam amicorum periculis defuit. Arch., 6, 12-13.

Quae vero in oratione pro Archia tam breviter expresserat, ea, septem post annis, in libris de Oratore explicavit : oratoris animum « doctrina » excolendum. Tunc multarum rerum scientiam percipiendam demonstravit, quae disciplinae maxime colendae essent definivit, non modo legendos poetas aliosque scriptores sed discendam philosophiam, historiam, ius civile, cetera etiam si fieri posset [3]. Quam vero discendarum rerum rationem in

1. Arch., 1, 1 ; supra, p. 23.
2. Id est oratoria facultas (ἓν διὰ δυοῖν).
3. Supra, p. 13-15.

libris de Oratore expresserat, eam numquam abiecit, ea quasi norma ad diiudicandos oratores in Bruto usus est [1], eam breviter in Oratore [2] adumbravit.

§ 8. — Alia quaedam, in quibus rhetoricam ad sui similitudinem direxit, aut ad Atticorum dissimilitudinem.

Maxime valere in oratione facetias Cicero in libris de Oratore primum commonuit; nullam de ea re mentionem in libris de Inventione fecerat, quamquam eam postea ad inventionem pertinere iudicavit. Nec mirum : in primis enim Rhetoricis suis volgaria praecepta descripserat; ut vero proprium iudicium de eloquentia habere coepit, quantum valerent in dicendo ioci facile animadvertit ; cumque se salibus et lepore Romanis omnibus praestare sentiret, facile id summi oratoris esse existimavit. Itaque, cum libros de Oratore scripsit, multa de facetiis interposuit [3], multa etiam in Bruto [4], non nulla in Oratore [5].

Quia autem non minus permovendorum animorum facultate quam iocandi festivitate excellebat, illud quoque sibi persuasit maxime commovendis animis opus oratorium fieri. Quod in libris de Inventione minime affirmaverat [6], in Divinatione non obscure significavit [7], in

1. Brut., 43, 161 ; 45, 167 ; 59, 214 ; 67, 236. 237 ; 70, 247 ; 93, 322.
2. Or., 34, 119-120.
3. De Or., 1, 5, 17 ; 2, 54, 216-71, 289.
4. Brut., 34, 128 ; 38, 143 ; 45, 158 ; 44, 164 ; 93, 322 ; etc.
5. Or., 26, 87-90.
6. Indignationis quindecim, conquestionis sedecim locos enumerat (Inv., 1, 53, 100-56, 109) ; minime vero ait permovendi facultatem ceteris praestare.
7. Div. Caec., 12, 38.

libris de Oratore [1] plane et aperte expressit. Postquam vero ab Atticis [2] qui exiliter et quiete dicebant accusatus est quod tumidus et Asianus esset, tum contra eos maxime probare conatus est neminem magnum oratorem esse, nisi qui homines vehementius commoveret.

Quo magis autem ab Atticis impugnabatur, eo constantius perfecti oratoris speciem ad suae eloquentiae normam dirigebat. Iam antequam Attici controversiam moverent, amplum et ornatum dicendi genus in summis oratoris laudibus posuerat [3] ; postquam vero Attici ornatum orationis, quem ipsi attingere aut nolebant, aut non poterant, publice spernere coeperunt, tum Cicero eum acerrime defendit, tria genera dicendi accurate descripsit ; primum tenue et nudum Atticis concessit [4], sed statim addidit esse aliud uberius et robustius [5], neque hoc ipso perfectum oratorem esse contentum nisi exstaret idem « amplus, copiosus, gravis, ornatus,

1. « Qui aut breviter aut summisse dicunt, docere iudicem « possunt, commovere non possunt; *in quo sunt omnia.* » De Or., 2, 53, 215.

2. Quanta fuerit Ciceroni cum Atticis pugna narrandum non est cum multi iam de ea re disseruerint. Inter quos vide : Lantoine, *De Cicerone contra Atticos disputante ;* Gache et Piquet, *Cicéron et ses ennemis littéraires* (= Jahn, *Brutus Einleitung*) ; J. Martha, *Brutus, Introd.*, p. IX-XI ; O. Harnecker, *Cicero und die Attiker, Neue Jahrbücher für Philologie und Pädadogik*, CXXV, 1882, p. 601-611 ; Radermacher, *Ueber die Anfänge des Atticismus, Rheinisches Museum, N. F.*, LIV, 1899, p. 351-374 ; *Calvus*, ed. Plessis-Poirot ; Wilamowitz-Moellendorff, *Asianismus und Atticismus, Hermes*, XXXV, 1900, p. 1-52 ; Curcio, *De Ciceronis et Calvi reliquorumque Atticorum arte dicendi quaestiones ;* Schlittenbauer, *Die Tendenz von Ciceros Orator ;* Haenni, *Die litterarische Kritik in Ciceros « Brutus »*, p. 14-15, 57-62 ; J. Girard, *Etudes sur l'éloquence attique*, p. 66-69, 71 ; Norden, *Die antike Kunstprosa*, p. 219-221.

3. De Or., 3, 14, 53.

4. Or., 23, 75 ; 25, 83 ; 26, 90.

5. Or., 26, 91.

« in quo profecto vis maxima est [1] »; neminem vere eloquentem esse nisi cuius oratio aliquando cursu magno sonituque ferretur, qui « et humilia subtiliter et alta « graviter et mediocria temperate posset dicere [2] ».

Numeros Attici neglegebant, spernebant [3]; numeros igitur Cicero in Oratore defendit eisque plus etiam quam in libris de Oratore tribuit [4]. Vulgi iudicium Attici contemnebant; vulgi iudicium Cicero magni faciendum esse demonstrat [5].

De iis omnibus quamdiu pugna fuit, Cicero secum constitit, eaque quae semel contra Atticos statuerat postea semper defendit. Unam tantum accusationem paulo aliter in Oratore atque in Bruto refellere conatus est : Asiatica in eo vitia qui eum insectabantur reprehendebant. In Bruto Asiaticorum oratorum causam suscepit, eis se plurimum debere non negavit [6] neque infacete de Menippo Stratonicensi scripsit : « Si nihil « habere molestiarum nec ineptiarum Atticorum est, hic « orator in illis numerari recte potest [7] ». Postea vero, cum Asiaticos oratores vix defendi posse animadvertisset, ne illis adnumeraretur, eorum vitia acrius vituperare coepit; vitiosam abundantiam [8], morem ululanti voce

1. Or., 28, 97 ; cf. Tusc., 1, 26, 64 ; 2, 1, 3-4.
2. Or., 29, 100.
3. Cf. Schlittenbauer, p. 197-198, 228-229, 235-236. Miror id negari a viro doctissimo H. Bornecque (*La prose métrique dans la correspondance de Cicéron*, p. 94-95 ; *Revue de philologie*, XXIX, 1905, p. 49). Neque mihi quicquam persuadetur his Bruti clausulis « imperare quam alicui servire », « nulla condicio est » (Quintil, 9, 3, 95 ; Bornecque ibid.). Nihil enim in tali quaestione ex duobus exemplis concludi potest ; neque totus hic Bruti locus (in quo non duo sed tria vel quattuor membra sunt) mihi numerosus videtur.
4. Or., 41, 140-71, 236.
5. Brut., 49, 183-54, 200.
6. Brut., 91, 314-316.
7. Brut., 91, 315.
8. Opt. gen. Or., 3, 8.

pronuntiandi [1], inculcata denique inania verba, quasi complementa numerorum [2].

Si ex Ciceronis scriptis quid in eius mente de eloquentia mutatum sit colligere conamur, multa quidem diversa artis praecepta reperimus sed unam tantum mutationem quae magni momenti sit : cum libros de Inventione scripsit, rhetorum doctrinam fere solam sequebatur, nec videbatur suspicari alia multa praeter eorum « artes » ad conformandam eloquentiam requiri; vix pauca e dialecticis in argumentatione sumebat. Postea vero, « antiquos » simul et Academicos recentiores secutus, plus ingenio, exercitationi, doctrinae praesertim tribuere coepit quam a plerisque tribui solebat; simul Hermagoreis locis topica communia, declamatorio generi *θέσεις* anteposuit; ea denique quibus ipse excellebat perfecti oratoris maxime propria iudicavit : facetias, permovendorum animorum facultatem, orationem ornatam atque numerosam ; eas quoque disciplinas quibus operam dederat maxime necessarias esse dixit. Ita paulatim in eius mente species quaedam eloquentiae formata est, iam non ad rhetorum praecepta sed ad Tullianae eloquentiae normam directa.

Quo tempore haec mutatio facta sit pro certo affirmari nequit; sed certe, diu antequam Cicero libros de Oratore scriberet, facta est. Nova tamen illa de arte dicendi sententia in Divinatione et in oratione pro Archia insinuata plene expressa non est donec tres de Oratore libri editi sunt. Postea vero numquam Cicero ab ea discessit. Ea quidem quae impugnata erant in meliore lumine collocavit ; praecepta quoque plura de quibusdam tradidit; sed ex iis quae in libris de Oratore affirmaverat, nihil, quod magni momenti esset, umquam negavit.

1. Or., 8, 27. — 2. Or., 69, 230.

De Tulliana rhetorica conclusio

In Ciceronis oratoriis libris duo reperiuntur inter se maxime dissimilia : artis praecepta, quibus praecipue libri de Inventione, Partitiones, Topica abundant ; aliae quaedam rationes, aut ab antiquis repetitae, aut ab ipso perpolitae. Utram ex his rhetoricae suae doctrinae partibus pluris aestimarit non est dubium. Praecepta artis non quidem neglegebat — qui de iis usque ad ultimum aetatis annum scripserit, — sed tamen « communia » [1] iudicabat ; non tam iis exponendis quam aliis exquisitioribus, quae maxime de doctrina oratori necessaria scripserat, civibus suis se profuisse arbitrabatur. Novom quiddam se attulisse, quod rhetorum cantilenis longe praestaret, suosque rhetoricos libros etiam Graecis anteponendos esse [2] sibi persuaserat. Quodsi speravit se suis libris id perfecisse ut postea ratio sua praeceptis artis anteferretur, vehementer erravit. Secuti quidem eum sunt Tacitus [3] et Quintilianus [4]; sed Quintilianus ipse, etsi de rebus oratori discendis scripsit, non tanti id esse putavit quanti Tullius iudicarat, maioremque curam in exponendis praeceptis artis ad-

1. Fam., 1, 9, 23.
2. De Or., 3, 24, 95.
3. Dial. Or., 30-32; 35.
4. Quintil., 1, 10; 12, 2-4.

hibuit. Postea vero fere omnia, quae Cicero magni fecerat, derelicta sunt. Apud « *Rhetores Latinos minores* » nihil fere invenitur nisi praecepta artis. Immo ex Ciceronis scriptis ea quibus suum instituendi genus propugnabat paulatim fere oblivione obruta sunt; libri vero de Inventione, quos ut aetate sua usuque indignos abiecerat, pluris fieri coeperunt; de iis commentarii longissimi et subtilissimi confecti sunt; ne denique quicquam deesset illi quasi ironiae, quae rebus ipsis inhaeret, Ciceroni tributa est una ex his artibus quas ipse aspernabatur ; per multa saecula, cum libri de Oratore, Brutus, Orator in tenebris iacerent, saepe laudabantur Ciceronis « rhetorica prima » et « rhetorica secunda », id est libri de Inventione quibus ipse, ut ait Quintilianus, alios « substituerat » et libri ad Herennium quos *artibus* exilioribus adnumerabat. Non tamen eius inutilis labor fuit : tandem enim factum est ut quantum eius doctrina scriptoribus artis praestaret agnosceretur.

VU,

le 6 mars 1906 :

Le Doyen de la Faculté des Lettres
de l'Université de Paris,

A. CROISET.

VU ET PERMIS D'IMPRIMER :

Le Vice-Recteur de l'Académie
de Paris,

L. LIARD.

Index I

Index II

Laval. — Imprimerie Ve A. Goupil.